ZU DER

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

SÄMMTLICHER KLASSEN

DES

DOMGYMNASIUMS ZU NAUMBURG a/S.

DEN 25., 27. UND 28. MÄRZ 1871

LADET ERGEBENST EIN

DR. FÖRTSCH,

GYMN.-DIR.

INHALT:

NAUMBURG a/S.
DRUCK VON HEINRICH SIELING.
1871.

De L. Annaei Senecae genere dicendi.

Circumspicienti mihi materiam, quam in hoc libello tractandam eligerem, injecta est cupiditas ad eam litterarum antiquarum partem redeundi, ad quam explanandam duabus eadem scribendi occasione confectis commentationibus operam navavi. Et quoniam altera in universum de discrimine, quod inter aureae et argenteae aetatis consuetudinem dicendi intercedit, disputavi, altera Plinii majoris loquendi genus paulo accuratius examinavi, nunc de aequalis Senecae philosophi dicendi genere paucis exponere animum induxi. Nec tamen me fugit, quam difficile opus susceperim. Nam cum Fickertus id, quod in quarto tomo editionis suae 1842—1845 in lucem prolatae se tractaturum promiserat, adhuc absolvere supersederit, praeter ea, quae Haasius*) in praefationibus editionis suae de Senecae genere dicendi protulit, mihi sola dissertatio Boehmii, quae programmate gymnas. Oels. 1840 continetur, adminiculo fuit. Cui viro docto assentior, quod admodum dolet Senecae libros non jam in manibus discipulorum esse. Namque iis et multa, quae ad mores et facta primi p. Chr. n. saeculi accuratius cognoscenda pertinent, et praeclara sapientiae praecepta continentur, quae quibusdam a Christiana doctrina haud ita multum distare visa sunt.**) Quae causa fuit, cur epistulae

*) Hujus editionem Teubnerianam in afferendis locis secutus sum.

**) Exempli gratia aliquot locos afferre libet: Clem. I, 24, 2 Natura contumax est humanus animus et in contrarium atque arduum nitens; Ep. 83, 1 Singulos dies tibi meos et quidem totos indicari jubes: bene de me judicas, si nihil esse in illis putas, quod abscondam. Sic certe vivendum est, tamquam in conspectu vivamus, sic cogitandum, tamquam aliquis in pectus intimum inspicere possit: et potest. quid enim prodest ab homine aliquid esse secretum? nihil deo clusum est. interest animis nostris et cogitationibus mediis intervenit; Dial. de Ira lib. II, c. 28 Si volumus aequi rerum omnium judices esse, hoc primum nobis persuadeamus, neminem nostrum esse sine culpa. hinc enim maxima indignatio oritur: „Nihil peccavi“ et „nihil feci“. Immo nihil fateris. Indignamur aliqua

a Seneca ad Paulum apostolum et a Paulo ad Senecam missae a quodam fictae sint, quibus quamvis ineptis id certe acceptum referimus, quod Senecae epistulae ad Lucilium melius servatae sunt, et cur media aetate Senecae libri libentissime lecti sint magnusque codicum numerus exstet. *)

Deinde Boehmius Senecam defendit ab eis, qui eum accusaverunt, quod nimis multa Graeca vocabula in usum suum convertisset. Quam in rem affert eas voces, quae sane non ita multae sunt: arithmetica, antipodes, asthma, astrapoplecta, astronomia, alogiae, chasmata, chiragra, Cerastae, ceroma, cathedrarii, hiera, chirographum, chlamydati, chriae, clepsydra, dialogi, diplomata, diadumenos et doryphoros, ergastulum, ectypus, historicus, geometres, geometria, grammaticus, graphium, gymnicus, halo, haphe, hypocrisis, hyperbole, idea, malacisso (ex codicum auctoritate Fickertus et Haasius „malaxare“ ediderunt), malacia, lychnobius, opsonium, paedagogium, pantomimus, pantomima, pantomimicus, podagricus, poeticus, parabola, parelia, phrenesis, phrenetici, phthisis, progymnastes, proxeneta, pseudomenos, psychrolutes, sagmata, sela, stemma, stylus, sphaeromachia. Quibus nonnullae aliae addendae erant, veluti pyxis, naumachia (Ep. 10, 26) epitonium, scyphus. Jam vero Boehmius sententiam eorum refutat, qui Senecam vetera nimis sectatum esse censent et in eam rem affert locum ex Ep. 104 desumptum, ex quo cognoscimus jam multo ante Gellium veterum sectatores Romae exstitisse: „Multi ex alieno saeculo petunt verba, duodecim tabulas loquuntur; Gracchus illis et Crassus et Curio nimis culti et recentes sunt, ad Appium usque et ad Coruncanum redeunt“. Et sane Seneca ex priorum libris sic hausisse putandus est, ut non unam aetatem alteri praeferret, nisi forte statuere debemus eum ex poetis Augusteae aetatis, a quibus, ut infra docebimus, multum pendet, plura quam ex aliis scriptoribus deprompsisse.

Postremo Boehmius indicem eorum verborum profert, quae vel e quotidiano consuetudine deprompta vel ab alio illius saeculi scriptore vel ab ipso formata apud Senecam primum deprehenduntur. Cujus indicis singula verba cum secundum

---

adminitione aut coercitione nos castigatos, cum illo ipso tempore peccemus, quod adicimus malefactis adrogantiam et contumaciam. Quis est iste, qui se profitetur omnibus legibus innocentem? ut hoc ita sit, quam angusta innocentia est ad legem bonum esse? quanto latius officiorum patet quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas sunt? Sed ne ad illam quidem artissimam innocentiae formulam praestare nos possumus: alia fecimus, alia cogitavimus, alia optavimus, aliis favimus, in quibusdam innocentes sumus, quia non successit. Hoc cogitantes aequiores simus delinquentibus, credamus objurgantibus et q. s.

*) Unus e melioribus, quo pars epistularum continetur, Argentorati, ubi asservabatur, incendio illo, dum urbs oppugnatur, exorto utrum igne deletus an servatus sit, nescio.

lexic. Forcellin. examinarem, animadverti complura jam apud priores scriptores inveniri. Quibus exemptis quae apud Senecam primum exstare putanda sunt, haec fere sunt: Substantiva: arietatio, fulguratio, fulminatio, (his tribus Seneca solus usus esse videtur), evaporatio, alucinatio, murmuratio, offensatio, circumlitio, comperendinatio, praestatio, scrutatio, sparsio, vectatio, intentatio. (Num his in-io cadentibus vocabulis alia adicienda fuerint, non certo scio, siquidem mihi etiam per hoc spatium semestre multis negotiis districto ad id perscrutandum tempus defuit. Quam ob rem satis habeo unum locum afferre, ex quo apparet Senecam admodum ejus modi verbis delectatum esse, Ep. 94, 39 et consolationes nega proficere dissuasionesque et adhortationes et objurgationes et laudationes. Omnia ista monitionum genera sunt). Nauseator, vomitor, imputator, (haec tria apud solum Senecam exstare videntur), aenꞌeator, tractator. His alia addenda fuerunt, ut adrisor, adrosor. „Botularius, crustularius, pararius, pausarius, effractarius“ his in-arius cadentibus verbis Seneca solus usus esse videtur, quod idem in haec duo cadere videtur: Linguarium, conciliatura. Displicentia. Breviarium (Ep. 39, 1 haec, quae nunc volgo breviarium dicitur, olim cum latine loqueremur, summarium vocabatur.) Fulgetrum. Lucifuga, ae, (apud Ciceronem lucifugus exstat). Ópertorium. Pilicrepus = qui pila ludit, (hoc vocabulum etiam in inscriptionibus invenitur). Semiorbis. Duramentum, initiamenta, orum, (ap. Sen. solum invenitur), piamentum. Seductus, us, (Dial. IX, 3, 2 ubi tamen non „in seductu“, sed „in seducto“ jure in recentioribus editionibus scribitur), dispectus, us, (D. IV, 10, 1, Ep. 94 m., Ep. 109 extr. Hoc vocabulum apud Sen. solum inveniri videtur.) Balneolum, civitatula, deliciolum (apud Ciceronem deliciolae exstat), disputatiuncula, punctiuncula, procuratiuncula, nummulariolus, (haec diminutiva paene omnia a Seneca solo usurpantur). Adjectiva: Blattarius (i. e. ad blattam pertinens. Sen. Ep. 86 At nunc blattaria vocant balnea. Plin. maj. commemorat herbam quandam blattariam Romae vocari), elementarius (Ep. 36 elementarius senex i. e. qui prima literarum elementa discit) latruncularius (ad latrunculos i. e. calculos lusorios pertinens. Apud solum Senecam exstare videtur), quaestuarius, refractarius (= contumax. Apud solum Senecam invenitur; inde deductum est vocabulum italicum refrattario). Nauseabundus = nausea plenus et reptabundus = multum reptans, (haec duo vocabula apud Sen. solum inveniuntur. Vocab. lapsabundus, cujus Boehm. mentionem facit, jure in recent. editionibus in „laxabunt“ mutatum est.) Gulosus, superciliosus. Soccatus, indepravatus, superadornatus

(his verbis Seneca solus usus esse videtur). enuntiativus, tardiloquus (etiam haec duo adjectiva apud Senecam solum exstare videntur), infrunitus = insipidus, invectitius, perfusorius, segrex, stomachicus. Corporalis et incorporalis, rationabilis, irrationalis, inconcussus, indubitatus, inefficax, inemendabilis, inevitabilis, inseparabilis. Quantum Seneca ejusmodi adjectivis delectatus sit, documento sunt non solum multa alia e prioribus deprompta, velut insecabilis, intractabilis, inexsuperabilis, illaesus, inmansuetus, sed etiam ea, quae apud eum solum exstare videntur: inagitabilis, indefatigabilis et indefatigatus, invulnerabilis, inhonorificus, inopertus.

Denique e verbis, quae Boehmius primum a Seneca usurpata censet, haec sola proferenda erant: cernulare vel cernuare, hospitari, nepotari (apud Plinium majorem, qui etiam verbo hospitandi et converberandi utitur, subst. nepotatus = luxus exstat), converberare, corrotundare, effocare, effricare, obirasci, obrigescere, obsigillare, replumbare, collatrare, revilescere, subinfluere (Fickert. et Haasius iu ejus locum „subterfluere" substituerunt). Quibus quaedam addenda erant, veluti apologare, imaginari, emendicare = mendicando impetrare, abnoctare = foris pernoctare, convivere = convivari. (Ben. I, 12, 2. Ep. 104), occallatus (quo Seneca solus videtur usus esse N. Q. IV, 13) alia.

Boehmius postquam dixit his vocabulis, si pauca excipiantur, ut conlatrare, effocare, effricare, tantum abesse ut debeamus offendi, ut lingua latina copia aptissimorum verborum locupletata sit, in Senecae dicendi genere nihil nisi colorem Ciceronianum desiderari ejusque libros ad imitandum proponendos esse arbitratur. Quam rem longe aliter se habere intellexisset, si et indicem eorum vocabulorum, quae Senecae aetate alia atque antea vi praedita sunt, conficere et in eam discrepantiam inquirere animum induxisset, quae in syntaxi inter priores scriptores et Senecam intercedit. Et quoniam mihi propositum est infra ostendere, quid Seneca e priorum ratione verborum conjungendorum mutaverit, hoc loco satis habeo paucas voces et locutiones afferre, quibus is, qui priorum et maxime Ciceronis libris legendis tritas aures habet, non potest non offendi. Ejusmodi mihi haec videntur esse: „panis siccus, (cui italicum pane secco et nostrum *trocken, eitel Brod* respondet), (beneficia) haud dubie primae sortis (Ep. 36, 5), egregium hoc quoque, sed secundae sortis ingenium (Ep. 52, 3), non usque eo in possessionem generis humani vitia venerunt (Dial. I, 3, 12), in possessione est (D. II, 5, 5), in hujus gaudii possessione esse te volo (Ep. 23, 4 Cfr. Ep. 50, 7), cum se in possessione po-

suerunt (D. III, 7, 2), in possessione beatae vitae positum (Ep. 32, 3); quaeramus, quid nos in possessione felicitatis aeternae constituat (D. VII, 2, 2); fatigatum corpus voluptaria peregrinatione recreare (Dial. XI, 6, 4); matres filios in exercitu habent (D. VI, 24, 2); amoena positio, *anmuthige Lage* (D. XII, 6, 4); haec ipsa insula saepe jam cultores mutavit (D. XII, 7, 8); id extra humanam potentiam jacet (D. XII, 8, 4); inveniat introitum dolor (D. XI, 18, 1); illa finitio contradictiones inveniet (de Clem. II, 3, 2); ei, qui regem habet (Ben. III, 18, 3); et ob hoc aliquid mihi extra pro illis debes (Benef. VI, 15, 3); putes me tibi scripturum, quam humane nobiscum hiems egerit (Ep. 23, 1); desiderat enim explanationem illa vox (Ep. 23, 10); non ubique se mors tam prope ostendit (Ep. 49, 11); triginta dies (Socrates) — in exspectatione mortis exegit (Ep. 70, 9); in scholam eo (Ep. 76, 1); saepius pauper et fidelius ridet (Ep. 80, 6); cum saepe apud se non sint ebrii (Ep. 83, 26); cum esuriente panem suum dividat (Ep. 95, 51); haec non cogitat ille, qui grammatici oculis carmen istud legit (Ep. 108, 28). Hae locutiones nonne ejusmodi sunt, ut primo aspectu numerandae videantur in iis, quae in latine scribendi exercitationibus discipulorum nostrorum vituperentur, quod germanicum potius quam latinum sermonem redoleant? Quaerenti autem mihi, unde mira illa similitudo exorta sit, dubitari posse videtur, an a latine doctis tales locutiones in nostrum sermonem inductae sint. Verum ut ut haec res se habet, neminem esse puto, quin vel ex eis, quae protulimus, cognoscat sermonem Senecae multum a prioribus differre. Quod clarius perspiciet, qui reputaverit sermonem Senecae ex illius aetatis consuetudine scholasticis declamationibus exercitati non esse aequabilem et temperatum, qualis philosophum decet, sed luminum et colorum varietate distinctum. Quod ut aliquot exemplis probem, primum nonnullas ex antithesibus proferre libet, quibus libri Senecae referti sunt quibusque aliqua ex parte effectum esse videtur, ut non raro vocabula a propria vi deflecterentur. Dial. II, 2, 2 Neque enim Cato post libertatem vixit nec libertas post Catonem. Dial. III, 17, 1 habent, non habentur. D. VII, 14, 1 ceterum non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet; ib. 2 captaeque cepere (voluptates). D. VII, 22, 5 Divitiae meae sunt, tu divitiarum es. VII, 26, 1 divitiae enim apud sapientem virum in servitute sunt, apud stultum in imperio. D. VIII, 1, 2 petita relinquimus, relicta repetimus. D. XII, 10, 3 nec piget a Parthis, a quibus nondum poenas repetiimus aves petere. de Clem. I, 12, 4 Contrariis in contraria agitur: nam cum invisus sit, quia timetur, timeri vult, quia invisus est. Ben. IV, 24, 2 ille ingratus est, quamvis non oporteat, quia expedit: hic gratus est, quamvis non expediat, quia oportet. B. VI, 11, 3 Parum est illi velle, nisi

profuit: parum est profuisse, nisi voluit. N. Q. IV. Praef. 16 utrum satius esset me perire pro fide an fidem pro me. Ep. 12, 10 Sed in necessitate vivere necessitas nulla est. Ep. 53, 8 dignus illa es, illa digna te est. Ep. 69, 6 interest nihil, illa (mors) ad nos veniat an ad illam nos. Ep 81, 29 et cum singulorum error publicum fecerit, singulorum errorem facit publicus. Ep. 86, 3 ut aut libertas Scipioni aut Scipio libertati faceret injuriam. Ep. 87, 2 culcita in terra jacet, ego in culcita. Ep. 90, 35: cujus hoc pretium est, non posse pretio capi. Cfr. Ep. 88, 44. 93, 10. 94, 7. 98, 9. 104, 13 et 26. 117, 21 et 33.

Jam vero anaphora, quae dicitur, Seneca cum alibi tum maxime in eis partibus librorum suorum usus est, in quibus ab ea, de qua agitur, re digreditur communem locum tractaturus, id quod in praefationibus et epilogis Naturalium quaestionum tam constanter fit, ut Haasius Senecam dicat videri posse ipsos libros praefationum et epilogorum causa scripsisse. Cfr. N. Q. lib. III, Praef. 10—16, ubi quid est praecipuum (in rebus humanis) septies per anaphoram repetitur. Dial. III, 2, 2. IV, 31, 5. Ep. 94, 53 et 54 et 63. Ep. 95, 5. Ep. 97, 11. Ep. 123, 2. Praeter ceteros autem locos cumulatis hujus figurae exemplis insignis est epilogus libri septimi de Benefic. (c. 27—32). Anaphora et epiphora conjunctae sunt Ep. 92, 22. Personificatio legis exstat Dial. III, 16, 6: Quid? tibi lex videtur irasci iis, quos non novit, quos non vidit, quos non futuros sperat? illius itaque sumendus est animus, quae non irascitur, sed constituit. Paulo ante Seneca dixit: procedam — voltu legis.

Figurae, cui nomen *ἀπὸ κοινοῦ* est, complura exempla inveniuntur, velut de Ben. I, 15, 1 quo plura (beneficia) majoraque fuerint, plus afferent laudis, ubi ex „quo“ „eo“ supplendum est, quod poetae praeiverunt, ut Ovidius Met. VIII, 834 Plusque cupit, quo plura suam demittit in alvum (cfr. 838 et 839). Ben. II, 27. 3 et majora cupimus, quo majora venerunt. Homoeoteleuti unum exemplum invenire me memini, Dial. III, 11, 8 Illa certissima est virtus, quae se diu multumque circumspexit et rexit et ex lento ac destinato provexit.

Praeter hanc declamandi cupiditatem, nisi fallor, etiam poetarum imitatione factum est, ut Senecae latinitas multum a prioribus prosae orationis scriptoribus differret. Diligentissime autem eum poetas legisse vel inde cognoscere licet, quod plurimos locos e Tibullo, Horatio et praecipue ex Ovidio et Vergilio depromptos libris suis inseruit quodque ipse Ep. 58, 5 dicit Vergilium cotidie excuti. Quaerentibus nobis, quid Seneca ex poetarum sermone in usum suum converterit, occurrunt non solum multa, quae in construendis verbis poetas imitatus novavit, sed etiam

multae voces et locutiones ex illis petitae, veluti frangatur licet coelum (N. Q. VI, 32, 4), quod cum scriberet, ejus animo obversatum esse videtur Horatianum illud, quod exstat Carm. III, 3, 7: si fractus illabatur orbis, superbas potentiorum fores, improbo lumini. Quid? quod more poetarum saepenumero verba audacius transtulit, ut ipse fatetur N. Q. III, 18, 7: Non tempero mihi, quin utar interdum temerarie verbis et proprietatis modum excedam: non sunt ad popinam dentibus, ore et ventre contenti: oculis quoque g u l o s i sunt. Et vero referti sunt libri Senecae talibus metaphoris, quarum nonnullas afferre libet. Dial. 1, 4, 1 at calamitates terroresque mortalium sub jugum mittere proprium magni viri est; D. III, 11, 5 habuit in consilio fortunam publicam; D. X, 10, 2 in quod fortuna jus perdidit; Ben. IV, 5, 3 ut omnis rerum naturae pars tributum aliquod nobis conferret; N. Q. V, 16, 4 Sed et eurus jam civitate donatus est (cfr. Ep. 120, 4); Ep. 13, 1 postquam cum illa (fortuna) manum conseruisti; Ep. 18, 12 incipe cum paupertate habere commercium; Ep. 19, 1 incipiamus vasa in senectute colligere; Ep. 23, 4 voluptates tenere sub freno; Ep. 55, 6 cum tempestas piscatoribus dedit ferias; Ep. 87, 23 nam sacrilegia minuta puniuntur, magna in triumphis feruntur; Ep. 90, 8 avaritiae signum dare. Agmen claudant duo loci Ep. 12, 4 deditos vino potio extrema delectat, illa, quae mergit, quae ebrietati summam manum imponit, et Ep. 101, 8 qui cotidie vitae suae summam manum imposuit, ubi propria vis locutionis „summam manum imponere“ prorsus oblitterata est. Verum de his rebus fusius agendi fortasse alia occasio mihi dabitur. Nunc ad id, quod mihi propositum esse supra dixi, exsequendum me accincturus sum. Sed priusquam de discrimine, quod in verborum conjungendorum ratione inter Senecam et priores scriptores intercedit, explicem, etiam nonnulla ad etymologiam pertinentia praemittere libet. Ac primum substantivum c e r v i x, quo Cicero ubique pluraliter usus est, Seneca poetarum auctoritate nixus plerumque singulariter usurpavit. Deinde comparativus superlativi proximus proximior Ep. 108, 16 exstat, quem locum Forcellin. praetermisit (Gossrau Gramm. ling. latin. pag. 133 etiam e Vegetio locum, ubi illa forma invenitur, affert). Quid? quod Senecae cum quibusdam vetustioribus scriptoribus n u l l a e pro nulli, a l i o pro alii commune est (Dial. X, 1, 3. Ben. IV, 32, 3)? Postremo dignae mihi videntur, quae commemorentur formae t r a n s i e t pro transibit, i n i e t, e x i e t, de quibus Haasius in Praef. alterius tomi p. VI sic disputat: Sed quod Fickertus semel ponere ausus est t r a n s i e t lib. III, c. 10, 4 miro ibi codicum mss. consensu firmatum, id ego adeo non aspernatus sum, ut ejus generis formas etiam aliis locis recte mihi restituisse videar; nam et de Ben. II, 1, 2 habent i n i e t libri optimi, inter quos est Nazarianus, et in Ep. 17, 7 e x i e t est in cod.

Paris. p., qui est in illa parte longe optimus et in quinque aliis; — his confisus exemplis in Ludo c. 3, 1 exiet edidi, quo nihil videtur probabilius reperiri posse pro corrupta voce esset; et de Ben. I, 2, 3 credo me rectius bis rediet scripturum fuisse pro eo quod nunc posui redit et in Dial. XI, 8, 2 exiet scriptum malim quam vel exit vel erit." De his formis cfr. quae Gossrau Gramm. lat. p. 202 disputat, qui commemorat Lachmann. ad Lucret. III, 1042 affirmare Tibull. I, 4, 27 in omnibus libris transiet inveniri, Horat. c. 4, 4, 65 autem editores dubitare, utrum exiet an evenit scribendum sit.

Jam vero ad syntaxin transeunti mihi primum memorabile esse videtur, quod Seneca saepenumero legem illam non servat, qua praecipitur, ut genus praedicati cum subjecti genere congruat, etiam cum illud pronomen demonstrativum sit. Namque pro eo, quod exspectes „haec est sapientia" Seneca dicit „hoc est sapientia" (Ep. 117, 25), cfr. Ep. 93, 11: hoc est vita quorundam longa. (Cfr. Nipp. ad Tac. Ann. I, 49.)

Etiam in casuum usu Senecam multum a prioribus prosae orationis scriptoribus discrepare eique multa cum poetis et aequalibus prosae orationis scriptoribus communia esse, ex eis, quae jam expositurus sum, cognoscere licet. Ac primum genetivum cum aliquot adjectivis et participiis conjunxit, quae pro adjectivis relativis, quae dicuntur, haberi possunt. In eo numero referenda sunt haec: incontinens Dial. II, 14, 1 cupiditatum incontinens N. Q. III, 30, 6 Nihil est tam violentum, tam incontinens sui.

(metuens Dial. V, 41, 4 infamiae metuens. Uncis inclusi h. v., propterea quod etiam a Cicerone cum gen. conjunctum est.)

insatiabilis Dial. XII, 8, 6 cujus (spectaculi) insatiabiles sunt (oculi mei), (etiam apud Justin. et Valer. M. c. gen. conjunctum invenitur).

inexplebilis Dial. XII, 15, 1. Ubi colloquia, quorum inexplebilis eram, (jam Livius sic locutus est).

capax Ep. 124, 8 boni capax, (Livius et post eum multi et ipsi c. gen. junxerunt).

efficax Dial. VI, 8, 1 efficacissimum mitigandae ferociae, (sic solus Seneca locutus esse videtur, qui tamen etiam usitato more cum ad conjunxit Ben. II, 7, 3).

ferax Dial. XII, 9, 1 terra — arborum ferax, (Ovid. A. 2, 16, 7 terra ferax Cereris).

tenax Ben. IV, 11, 1 sui non avare tenacem. Ep. 92, 3 constantia bene judicati tenax Ep. 120, 6 boni exempli tenacem.

certus Ep. 45, 9 certus judicii, (Vergilius primus h. v. cum gen. junxisse videtur, post Senecam Tacitus A. 12, 3).

incertus Ep. 23, 2 incertus sui, (similiter Tac. A. 3, 54).

dubius Ben. VI, 28, 2 portus ac praesidii dubium. N. Q. IV Prooem. 20 dubium viae, (similiter Verg. G. 3, 289).

immunis Dial. VII, 26, 5 vitiorum immunis, (Livius jam praeivit).

inanis Ep. 22, 17 inanes omnium bonorum, (Ovid. H. 8, 60).

nimius Ben. V, 6, 1 nimius animi, (addendus hic locus eis, quos Forc. ex Sall., Liv., Tacit. affert).

vacuus Dial. X, 4, 3 vacuam — dignitatis, (similiter Terent., Sallust., Horat. locuti sunt).

manifestus N. Q. IV, 2, 8 Hinc jam manifestus novarum virium Nilus alto ac profundo alveo fertur, (cum gen. etiam Plaut., Sallust., Ovid., Tacit. h. v. conjunxerunt.)

timidus Dial. V, 24, 4 timidum offensarum, Dial. VII, 20, 6 Nocturna animalia abduntur in aliquas rimas timida lucis, Ep. 22, 14 timidum mortis, (eodem modo Horat. h. voc. A. P. 28 usurpavit, ap. Ciceronem „timidus ad mortem“ exstat.)

totus Ben. III, 4, 2 Quomodo gratus esse quisquam adversus beneficia potest, qui omnem vitam suam transilit praesentium totus ac futurorum? VII, 26, 4 Alius libidine insanit, alius abdomini servit, alius lucri totus est. (Utroque loco per genetivum idem significatur, quod Horatiano illo loco „nescio quid meditans nugarum totus in illis“ per „in illis“ et totus idem est atque occupatus. Alia ratio est tertii loci Ep. 120, 11 Hinc intellecta est illa beata vita secundo defluens cursu, arbitrii sui tota, ubi „arbitrii sui“ non a „tota“ pendet. Num praeter Senecam quisquam alius totus c. gen. junxerit, nescio.)

Jam vero enumeremus ea adjectiva, quae quamvis non relativa sint, tamen genetivum sibi additum habent. Sunt fere haec: anxius Ep. 98, 6 anxius futuri, (similiter Ovid., Plin. maj., Tacitus locuti sunt); maturus Dial. X, 17, 6 Ivit in Poenos nondum tantae maturus rei Scipio, (cfr. Verg. A. 5, 73 aevi maturus Acestes); rectus Dial. VII, 6, 2 Beatus ergo est judicii rectus, (solus Seneca sic locutus esse videtur); securus N. Q. VI, 1, 2 (motus), qui Campaniam numquam securam hujus mali — magna strage vastavit; Ep. 115, 18 dum sit magnus et opinionum securus (animus), (similiter Ovid., Quint., Tacit. locuti sunt); sollicitus Dial. VI, 19, 6 non sollicitus futuri pendet, (alterum locum, quo sollicitus c. gen. conjunctum est, afferre non possum. Cicero sollicitus de aliqua re, Quint. in aliquam rem dixit). Agmen claudat adjectivum adtentus, quod et ipsum cum genetivo constructum est de Clem. II, 5, 3: sed nulla (secta) amantior hominum et communis boni adtentior.

Ad dativum transeunti mihi in mentem venit primum eorum locorum, quibus

Graecorum more dativus passivis sic adjungitur, ut ablativum cum praepositione „a" conjunctum exspectes. Ac participiis perfecti additur his fere locis Dial. VI, 4, 2 defleto gentibus funere, VI, 14, 2. VII, 20, 2. N. Q. VI, 8, 2. Ep. 8, 8. 94, 28. Audacius poetarum more usurpatus est dativus, qui dicitur, graecus his locis: Dial. II, 15, 5 Domus haec sapientis — nullis adservatur ianitoribus, Ep. 45, 12. 53, 4. 76, 15 et quam multis salutetur, Ep. 90, 25 Immo non aliis excogitata ista sunt, quam quibus hodieque curantur.

Item cum poetarum potius quam prosae orationis scriptorum sermone congruit, quod Seneca his, quae allaturus sum, verbis dativum adjunxit: adquiescere Ep. 24, 1 existimas me suasurum, ut meliora tibi ipse proponas et adquiescas spei blandae, (Ciceronem si imitari voluisset, ei dicendum erat „in spe blanda." Eodem modo praeter Senecam Auctor b. Afric., Curt., Sueton. verbum adquiescendi usurparunt). laborare Dial. VII, 1, 2 conteretur vita inter errores brevis, etiamsi dies noctesque bonae menti laboremus, (cfr. VII, 9, 2 Ep. 114, 9 Ubi luxuriam late felicitas fudit — supellectili laboratur i. e. cura ac labor impenditur. Num praeter Senecam alius sic locutus sit, dubito. Apud Ciceronem laborare de —, in —, pro aliqua re exstat, apud Senecam etiam laborare in aliquam rem Dial. V, 41, 2 nil in famam laboremus, D. IX, 12, 6, Ep. 65, 6 si laboravit in nomen, Ep. 90, 16 in delicias laboratur; laborare c. abl. Dial. VII, 13, 5); occupatus alicui rei Dial. X, 7, 1 nulli enim turpius occupati sunt; nisi „nulli" pro nominativo pluralis numeri habere vis. Quamvis ab hoc loco alienum sit, tamen operae pretium videtur esse varias constructiones hujus verbi in uno quasi quodam conspectu collocare. Ac cum praep. ad conjunxit Ep. 88, 21 (artes), quae manu constant et ad instruendam vitam occupatae sunt; cum circa Ep. 89, 10 quia — circa aliam materiam occupata sit, cfr. Ep. 33, 1, 75, 5, 95, 8 Ben. VII, 28, 2; cum inter Ep. 15, 3 homines inter oleum et vinum occupati; cum *a* Dial. VII, 11, 1 atqui ab hac (voluptate) occupatus. dominari N. Q. III, 28, 7 terrenis dominantur, pro quo „in terrena" exspectes. N. Q. IV, 2, 3 gentibus sparsus = inter gentes sp. alienare Ep. 82, 15 illa quoque res morti nos alienat, (Seneca etiam alienus c. dat. junxit, velut N. Q. IV. Praef. 1 scio quam sis ambitioni alienus. Verbum alienandi Cic. cum praepositione „a", Livius et Vellejus cum dativo ipsi quoque junxerunt). defluere Dial. IX, 1, 15 cui (bonae menti) ne paulatim defluam, vereor. educere Dial. VII, 2, 3 ut me multitudini educerem. abducere Ep. 88, 34 corpori abductus. Jam vero Seneca videtur Horatii exemplum secutus esse, cum scriberet Dial. II, 13, 3 scit statum ejus non magis habere quicquam invidendum. Quid? quod Forcellini Senecam eo

audaciae progressum esse existimat, ut etiam homines permitti diceret aliquid facere? Sed id quamvis in tabula, quam Forc. affert et apud posteriores scriptores, ut Augustinum, inveniatur, tamen a Seneca alienum esse mihi quidem persuasum est. Nimirum duobus illis Senecae locis, quos Forcell. affert, Ben. IV, 12, 2. et Dial. III, 7, 4 facile ita sententia suppleri potest, ut „ei" intellegas, modo distinctionis signum, quod Forcell. „post animus", posuit, deleatur. (De Ben. IV, 12, 2 Sic latronibus circumventum defendo, ut tuto transire permittatur. Dial. III, 7, 4 ita animus si in iram, amorem aliosque se projecit adfectus, non permittitur reprimere inpetum). Cfr. Mütz. ad Curt. p. 793. Postremo commemorare libet, etiam verba haerere, jungere, inesse, incumbere a Seneca cum dativo jungi solere.

Accusativus a Seneca saepius quam a scriptoribus aureae aetatis cum verbis intransitivis conjungitur. Ac primum accusativi objecti interni, qui dicitur, haec exempla exstant: Dial. VII, 4, 3 noxiosam servitutem serviturus, Ep. 16, 9 viam eunti, D. III, 20, 2 altum quiddam et sublime spirare se credunt, D. V, 3, 6 ira dirum quiddam atque horridum stridens, D. V, 4, 2 dirum quiddam exsibilantia (labra).

Jam vero plurima verba, quibus affectus animi significatur, a Seneca secundum consuetudinem poetarum cum accusativo conjunguntur. Nam praeter ea, quae a Cicerone ejusque aequalibus sic usurpantur, velut formidare (Ep. 50, 9), gemere (Dial. IX, 7, 6), horrere (Dial. XII, 3, 1. Ep. 48, 7. 75, 17. 82, 15. 95, 70), lugere (D. VI, 26, 3), queri (D. II, 10, 1) haec fere inveniuntur: contremiscere Ep. 65 contremiscamus injuriam, (Horatium imitatus esse videtur Seneca, praeter S. etiam Justinus c. acc. junxit), expavescere Dial. I, 4, 6. Ep. 94, 7. 107, 4, (Horatio, ut videtur, auctore praeter Senec. Plinius maj., Quint., Sueton. acc. cum h. v. junxerunt), fastidire Ben. VII, 26, 5, (etiam Livius et Horatius et post eos multi sic h. v. usurparunt), flere Dial. VI, 25, 3. X, 17, 1 Ab hoc adfectu reges suam flevere potentiam, gravari Dial. IV, 8, 2. De Clem. I, 13, 1 at illum acerbum et sanguinarium necesse est graventur stipatores sui, (praeter Sen. Horat. et Sueton. sic locuti sunt). Postremo dignum mihi videtur esse, quod commemoretur, Senecam gaudendus Dial. II, 19, 2 finxisse, quo nec ante nec post eum quisquam usus esse videtur.

Agmen cogant alia verba, quae Seneca inprimis poetarum auctoritate nixus cum acc. junxit. Sunt fere haec: navigare N. Q. IV, 2, 22 Navigavi Atlanticum mare, (non ignoro similiter Vergilium atque etiam Ciceronem locutum esse), habitare Ep. 70, 11 domum habitaturus, (apud Ciceronem ejusque aequales

aliquis „habitare in loco aliquo“, apud Verg., Ovid., alios poetas „hab. aliquem locum“ dicitur), penetrare Ben. VII, 3, 3 animo, quo etiam remota et solitudinibus interclusa penetrantur, (similiter Vergilio auctore Sueton. et Tacitus h. v. usurparunt, cum priores „penetrare in locum“ dixerint), evadere Ep. 22, 9 Facile est autem, mi Lucili, occupationes evadere, (praeeuntibus Vergilio et Ovidio etiam alii argent. aet. scriptores, ut Tacitus, hoc verbum c. acc. junxerunt), escendere Dial. VI, 16, 2 pulvinum escendentibus (praeter Senecam Sall. et Tacit. c. acc. coniunxerunt), praevadere Dial. X, 17, 6 Quintius dictaturam properat praevadere: ab aratro revocabitur. (Verbum praevadendi, quod in lexicis a Forcell. et Gesnero editis propterea desideratur, quod in suis Senecae exemplaribus pro eo evadere vel pervadere invenerunt, optimorum codicum auctoritate nixi Fickert. et Haasius in ordinem verborum receperunt. Seneca ad analogiam verborum praecurrendi, praefluendi, praelabendi, praevehendi etiam verbum praevadendi c. acc. junxisse putandus est.) Verba canendi et loquendi secundum poetas Augusteae aetatis cum accus. conjunxit Ep. 79, 15 cum amicitiam suam et Metrodori grata commemoratione cecinisset, De Clem. I, 1, 6 nemo jam divum Augustum nec Tiberii Caesaris prima tempora loquitur = praedicat, cfr. Ben. VII, 26, 4. Quid contumaciam in perversa nitentium, quid levitatem semper aliquo transsilientium loquar = commemorem? Diversa sunt ea, quae apud Ciceronem inveniuntur „classes loqui“, „Catilinam l.“, propterea quod loqui in his locutionibus nostrae dictioni *„im Munde führen“* respondet, propius abest Horatianum illud (C. IV, 15) Phoebus volentem proelia me loqui. Restant duo verba, quae Seneca ipsa quoque cum acc. conjunxit, verba debellandi et fulminandi. Ac debellare, quod imprimis a Livio impersonaliter usurpatur, Vergilius primus cum accus. conjunxisse videtur, quem nonnulli argenteae aetatis scriptores secuti sunt. A Seneca duobus locis sic usurpatur: Ben. III, 32, 5 post debellata civilia arma et Ep. 45, 9 tela, quibus genus humanum debellatur. Fulminandi verbum Seneca cum acc. junxit Dial. V, 6, 1 inferiora fulminantur i. e. fulmine percutiuntur, (similiter Petron. et Plin. maj. et posteriores, ut Claudian., Augustin., Lactant. locuti sunt).

Restat, ut eos locos afferamus, quibus ablativus a Seneca aliter atque ab aureae aetatis scriptoribus usurpatus est. Ac N. Q. IV, 2, 13 more poetarum „Heracleotico ostio Nili“ pro „in H. o. N.“ dixit; exemplum aliud e libris Senecae proferre non possum. Jam vero verbum invidendi secundum morem aequalium cum dat. personae et cum ablativo rei construxit Dial. VII, 23, 3 quare illis bono loco invideat, D. VII, 24, 5. N. Q. IV Prooem. 7. (Liv. II, 40, 11, ubi codd. inter „laudem“, „laudes“,

„laude“ fluctuant, Hertz accusativum praetulit.) Contra verbum interdicendi Livio auctore cum accusativo rei conjunxit N. Q. VI, 17, 1 quando illi cursus interdictus est. Verba egendi et indigendi semper, nisi fallor, cum ablativo junxit, nunquam cum genetivo (Dial. I, 6, 5. De Clem. I, 21, 1. Ep. 12, 5. Ep. 74, 12. Dial. VII, 16, 2). Denique ad analogiam verborum ponendi, collocandi etiam verbum conicien di cum in et ablativo conjunxit; contra D. V, 23, 6 in ignem posuit.

Ab hoc loco mihi non alienum esse videtur, de eis praepositionibus, quae apud Senecam aliam vim atque apud priores habent, paucis exponere. In transcursu commemoro Senecam pro numerare in vel intra vel *e* (N. Q. IV, 3, 1 ex his me testibus numero cfr. Cic. Acad. I, 12. Platonem ex illa vet. Acad. numeramus) etiam n. cum dicere (D. XII, 16, 7 cum his te numerari feminis volo). Jam vero citra haud raro secundum morem illius aetatis idem fere est ac „sine“, velut Dial. IX, 4, 7 Ut salutaria, quae citra gustum tactumque odore proficiunt. Deinde circa saepius ita usurpatur, ut rem spectet, in qua quis versatur. Quam in rem praeter eos locos, quos supra attulimus, conferas Ep. 88, 44 versari circa —, D. V, 33, 1 Circa pecuniam plurimum vociferationis est, Ep. 115, 1 nimis anxium esse te circa verba, ib. 8 circa tabulas et statuas insanimus. Verbum insaniendi etiam cum in conjunxit N. Q. VII, 31, 1 (in quod insaniat) et Ep. 94, 71. Qui loci me admonent, ut alia verba et adjectiva, quibus et ipsis praep. in vel ad additae sunt, proferam: N. Q. II, 41, 1 in illud dissentiunt, Ep. 24, 24 in utrumque monendi sumus, N. Q. VI, 30, 4 ad hoc stupet, Ep. 76, 23 excandescere ad subita, Ep. 78, 13 ad opinionem dolemus, Ep. 95, 5 ad honesta conari, Ep. 33, 8 ad exemplar pendere, Ep. 22, 12 ad hoc unum excusatis, Ep. 18, 11 quod ne ad extrema quidem decretis timendum sit, Ep. 18, 11 ad alia ignavos, Ep. 25, 4 nemo ad haec pauper est, Dial. V, 4, 5 in alia sanis, Ep. 61, 4 sed nos in instrumenta ejus avidi sumus, Ep. 68, 7 in cetera neglegentes. Nescio an huc referendi sint duo loci, quorum iterum mentionem faciendi infra occasio dabitur, Dial. VII, 5, 2 in perversum sollers et Ep. 31, 4 in vanum operosi. Quid? quod secundum morem illius aetatis per in id, ad quod intenditur aut id, quod efficitur, significatur, sive substantivum additur, ut Ep. 79, 2 in honorem meum, de Clem. I, 11, 4 nisi quod tyranni in voluptatem saeviunt, sive pronomen, velut hoc (Ep. 49, 6 in hoc unum, ne verba nobis dentur, cfr. Dial. IV, 10, 2; VI, 1, 6; VI, 15, 1) vel quid (Ben. IV, 12, 5 In quid mundus vices suas absolvit) vel tantum (Ben. II, 16, 2 te in tantum fortuna sustulerit, ut congiaria tua urbes sint) vel quantum (Dial. III, 9, 1 et in quantum putavit opus esse, concitatur). Denique dignum mihi esse videtur, quod commemoretur, apud Senecam multas

per „esse“ et „in“ formatas locutiones exstare velut in facili, in aequo esse. Verum earum locutionum infra mentio fiet in indice earum dictionum, quae ex neutris adjectivorum et praepositionibus constant. Quem priusquam proponam, paucis explicari necesse est de neutris adjectivorum substantivorum vice fungentium, propterea quod etiam hac in re sermo Senecae a prioribus nonnihil discrepat. Nam quamvis non eo audaciae progressus sit, ut „alia honorum“ (Tacit.) diceret, tamen etiam apud eum exstant „pretiosa rerum“ pro „pretiosae res“ (Ep. 93, 4), „Thermopylarum angusta“ (Ben. VI, 31, 6), „angusta rupium“ (N. Q. IV, 2, 6), „obscura terrarum“ (N. Q. VI, 8, 2), „secretum loci“ (Ep. 41, 3), quotiens despexerunt in illud magnitudinis suae praeceps (Ep. 94, 73), summo earum (aquarum) innatantia (N. Q. V, 5, 2). Deinde neutris adjectivorum, quae substantivorum vice funguntur, more poetarum alterum adjectivum adjungit. Nam ut Vergilius „altum caeruleum“, sic Seneca dixit „profundum inexploratum et immensum“ (Ben. VII, 2, 6), „in angusto inani“ (N. Q. V, 1, 2), „in multo inani“ (ibidem). Jam vero ad eas dictiones recensendas aggrediamur, quae ex neutris adjectivorum et praepositionibus compositae sunt. Quod dicendi genus nec a Graecis, apud quos *ἐξ ἴσου, ἐκ δικαίου* loco *ἴσως, δικαίως* sunt, nec a praestantissimis scriptorum latinorum alienum poetae et posteriores scriptores multum prolatarunt. In quem numerum etiam Senecam referendum esse larga copia exemplorum docemur, quibus inserere libet etiam eas dictiones, quae paululum differunt, ut in alto, in facili esse.

ex abdito Ben. IV, 32, 1 ex abdito subit.

ex abundanti Ben. I, 11, 5 Jam cetera ex abundanti veniunt delicatos factura, (similiter Quint. IV, 5 tum addit ex abundanti i. e. supra id, quod necessarium est).

ex adventicio Dial. VI, 10, 1 Quicquid est hoc, Marcia, quod circa nos ex adventicio fulget, liberi, honores, opes.

ex aequo Dial. VI, 16, 1 dolorem laboremque ex aequo, si consuevere, patiuntur (mulieres); ib. 5 6 Nunquam tamen injuriam dixeris ex aequo cum potentiore dividere; Ben. VI, 22 quae nunc eunt alternis redeuntque opportunis libramentis mundum ex aequo temperantia, (eodem modo Lucret., Ovid., Plin. maj., Tac., Suetonius locuti sunt, qui, ut Forcellinus recte observat, cum adverbium „aeque“ particulae potestate accipi coeptum esset, in ejus locum „ex aequo“ substituerunt ad normam Graecorum, qui ipsi quoque *ἐξ ἴσου* pro *ἴσως* usurparunt).

in aequum N. Q. IV, 13, 4 unum hoc erat, quod divites in aequum turbae deduceret.

in aequo esse Ep. 66, 29 in aequo est moderate gaudere et moderate dolere; Ep. 85, 22 itaque in aequo est longa et brevis vita. Cfr. Dial. VII, 2, 3, (similiter jam Liv. locutus est.)

in aequo habere Clem. I, 26, 4 Sed externa suaque in aequo habet.

in aequo ponere Dial. V, 28, 4 atqui in aequo ponimus, utrum—an—.

ex alto Ep. 85, 29 Sed non timet (vir fortis). invictus ex alto dolores suos spectat. Hoc loco per „ex alto" idem fere significatur ac Ben. VII, 3, 2 per „ex edito". Contraria vis inest Dial. III, 19, 5 si intellegit non ex alto venire nequitiam, sed summo, quod ajunt, animo inhaerere.

in alto esse Ep. 80, 6 nulla sollicitudo in alto est.

in aperto Ep. 70, 24 in aperto nos natura custodit, ubi „in aperto" non idem est atque in aperto loco, ut apud Liv. I, 33 et Plin. X, 8, 9 et apud Senecam ipsum Ep. 102, 23, sed, nisi fallor, similiter usurpatum atque a Tacito in aperto esse = facile esse. Cui simile est, quod exstat Ben. IV, 32, 1 nota enim illis (deis) est operis sui series omniumque illis rerum suas per manus iturarum scientia in aperto semper est = in promptu est.

ex aperto Ep. 104, 12 quia non ex aperto fit = palam.

in artum Dial. VI, 16, 1 in artum retraxisse, X, 6, 4 vita in artissimum contrahetur, (similiter Horat. et Plin. maj. locuti sunt).

in averso Ep. 79, 3 ita gloria aliquando ante nos est visendamque se praebet, aliquando in averso est, ubi „in averso est" respondet ei, quod praecedit „a tergo est", (sic Seneca solus locutus esse videtur).

ex commodo Ep. 49, 6 securi est et ex commodo migrantis, Ep. 46, 1 librum tuum, quem mihi promiseras, accepi et tamquam lecturus ex commodo adaperui ac tantum degustare volui, (quamquam dubitari potest, an „commodo" ablativus substantivi „commodum" sit).

ex communi Clem. II, 6, 2 Dabit — egenti stipem, non hanc contumeliosam —, sed ut homo homini ex communi dabit.

in communi Clem. I, 9, 1 Divus Augustus fuit mitis princeps, si quis illum a principatu suo aestimare incipiat. in communi quidem reipublicae gladium admovit.

in commune Dial. VI, 14, 3 in oculis erat jam Cn. Pompejus non aequo laturus animo quemquam alium esse in republica magnum et modum impositurus incrementis, quae gravia illi videbantur, etiam cum in commune crescerent. Eandem vim haec formula jam apud Terent., Cic., alios habet. Sed Seneca eam etiam aliter usurpavit. Nam ut Phaedrus dixit: Eja, inquit, in commune quodcumque est lucri, sic Seneca Ep. 119 init. Quotiens aliquid inveni, non exspecto, donec dicas in commune. Cfr. Ep. 90, 38 Quid hominum illo genere felicius? in commune rerum natura fruebantur, Ep. 95, 53 Habeamus in commune, quod nati sumus. Deinde idem

est atque „in universum“ N. Q. VII, 16, 2 Haec in commune de tota ratione et q. s., qua vi haec locutio etiam apud Plin. XVII, 1, 1 et Tacit. Germ. 27 et Ann. XV, 12 extr. praedita est.

ex confesso Ep. 76, 12 Si quis omnia alia habeat, valitudinem —, sed malus ex confesso sit, improbabis illum, (cfr. Quint. III, 5).

in confesso. Semper cum „esse“ conjunctum est et significat „manifestum esse“. Dial. X, 2, 4 quorum in confesso mala sunt. Cfr. Ben. III, 11, 2. V, 17, 5, (similiter Plin. XXXV, 8, 34 et Tac. Dial. 25 locuti sunt.)

in conspicuo Dial. X, 20, 5 Nemo in conspicuo mortem habet, (quod Forcell. recte interpretatur: tamquam praesentem intuetur; Seneca solus sic locutus esse videtur).

e contrario Ben. I, 11, 6 aeque ex contrario circumspiciemus. Cfr. Ben. III, 21, 2 Clem. I, 13, 4, Ep. 73, 2. 92, 19, (jam Cicero et Caesar hac locutione usi sunt).

in contrarium Ep. 59, 2 in contrarium verti.

ex denuntiato Ep. 79, 18, (ubi ei opponitur „imparatus ac subito“), N. Q. III, 30, 1 Sunt omnia, ut dixi, facilia naturae, ut quae a primo facere constituit, ad quae non subito, sed ex denuntiato venit.

ex destinato Dial. V, 6, 4 non ex destinato proposita fluxerunt, (idem fere est, quod paulo infra dixit: cui contra quam proposuerat, aliqua cesserunt). Cfr. N. Q. II, 35, 2, Ben. VI, 10, 2 non enim profuisse te mihi oportet, ut ob hoc tibi obliger, sed ex destinato profuisse, Ben. VI, 23, 4 Adice, quod ex destinato juvant. Clem. I, 6, 3.

ex difficili Ben. VII, 3, 2 Unus est sapiens, cujus omnia sunt nec ex difficili tuenda. Ep. 23, 2 sollicitus est et incertus sui, quem spes aliqua proritat, licet ad manum sit, licet non ex difficili petatur, (hac locutione ante Senecam usus est Ovid. Fast. V, 350 non ex difficili causa petenda subest; „in difficili est“ = difficile est apud Liv. III, 65 exstat).

ex disposito Dial. VI, 26, 6 et cum tempus advenerit, quo se mundus renovaturus exstinguat, viribus ista se suis caedent et sidera sideribus incurrent et omni flagrante materia uno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit, (Forcellini hoc loco praetermisso solum Macrob. Sat. I, 7 affert).

ex dissimulato N. Q. IV Praef. 5 Plancus — ajebat non esse occulte nec ex dissimulato blandiendum, (haec locutio apud Senecam solum exstare videtur).

ex diverso. Dial. X, 7, 10 ventorum ex diverso furentium i. e. ex diversis partibus. Idem fere est atque ex adverso Ben. V, 10, 2 cum ex diverso ista verba (dare et accipere) posita sint, (cfr. Justin. 30, 4). Denique eandem vim habet atque

e contrario, contra Dial. V, 8, 2, Ben. VI, 21, 4 et 25, 1 His ingratis — similes sunt ex diverso nimis grati; (similiter Plin. maj. et Suetonius locuti sunt).

in diversum N. Q. VII, 21, 3 Sex enim mensibus hic (cometes), quem nos Neronis principatu laetissimo vidimus, spectandum se praebuit in diversum illi Claudiano circumactus. Ep. 14, 5; 59, 4; 120, 21. (Forcellin. affert Liv. 25, 1, Plin. XI, 45, 101, Tacit. Ann. XII, 69), Dial. VII, 1, 2 „in diversa vocantium“ exstat.

ex edito Ben. VII, 3, 2 Quemadmodum — illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est; (similiter Plin. XXX, 3, 27 locutus est.)

in expedito esse Ep. 94, 29 Praeterea quaedam sunt quidem in animo, sed parum prompta, quae incipiunt in expedito esse, cum dicta sunt = in promptu esse, (cfr. Quint. X, 5 Prompta res et in expedito posita. Plin. IV, 23, 37.)

in expedito habere N. Q. VI, 32, 5 si volumus tranquille degere —, anima in expedito est habenda, quod, ut ex sequentibus verbis „qui volet illam, accipiat“ intellegitur, ita fere interpretandum videtur „parata ad effundendum“. Clem. II, 6 Adice, quod sapiens providet et in expedito consilium habet = in promptu habet. (Haec locutio etiam ap. Liv. exstat.)

ex facili Dial. VI, 25, 3 ex facili mobiles, D. IX, 1, 11 parum ex facili fluens, Ep. 74, 15 (animalia) fruuntur voluptatibus, quas et magis capiunt et ex facili. Praeter Senecam hac locutione, quae idem fere valet ac „facile“, Ovid. (A. A. I. 356), Colum., Cels. Plin. Tacit. usi sunt.

in facili esse Clem. I, 7, 3 at cui ultio in facili est = facile est, (praeivit Livius.)

ex horrido Ep. 100, 6 Adice nunc, quod de compositione non constat: quidam illam volunt esse ex horrido comptam. (Nescio an Senecae, cum haec scriberet, obversatum fuerit, quod exstat apud Cicer. Or. 9 Putant enim, qui horride inculteque dicat, modo id eleganter enucleateque faciat, eum solum Attice dicere.)

ad imum Dial. III, 7, 4 rapiat illum oportet et ad imum agat pondus suum.

ex ignoto Ep. 83, 3 tot flumina ex ignoto cadentia i. e. ex ignotis locis; (praeter Senecam nemo sic locutus esse videtur.)

pro indiviso Dial. XII, 19, 1 illud fidelissimum tibi pectus, in quod omnes curae tuae pro indiviso transferuntur; (similiter Cato de R. R. 137 et Plin. major compluribus locis locuti sunt.)

in infinitum Dial. VI, 18, 4 hinc camporum in infinitum patentium fusa planities. Ben. III, 20, 1. (Haec locutio exstat etiam apud Plin. maj., qui idem „ad infinitum“ dicit et ap. Ulpian., „in infinito“ apud Celsum et Paul. Dig.)

in integro esse Dial. VIII, 3, 4 Potest ergo et ille, cui omnia adhuc in integro sunt — in tuto subsistere, (ut jam Cicero dixit.)

ex inopinato Dial. VI, 9, 2 necesse est itaque magis corruamus, qui quasi ex inopinato ferimur. D. VI, 22, 8. Ep. 88, 22; (hac locutione jam Cicero usus est, post Senecam Suetonius.)

ad liquidum Ep. 71, 32 redigetur ad liquidum, (ap. Liv. ad l. explorata, apud Vellej. Quint. Curt. ad liquidum perducere exstat.)

ex longinquo Dial. IX, 4, 7 Ut salutaria, quae citra gustum tactumque odore proficiunt, ita virtus utilitatem etiam ex longinquo et latens fundit. Ep. 22, 2 Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum et mandari potest et scribi: tale consilium non tantum absentibus, sed etiam posteris datur. illud alterum, quando fieri debeat aut quemadmodum, ex longinquo nemo suadebit; (haec locutio etiam apud Tacit. A. I, 47 et apud Plin. maj. saepius invenitur.)

in longinquum Dial. IX, 10, 5 Non sunt praeterea cupiditates in longinquum mittendae.

in lubrico Ep. 75, 10 et adhuc in lubrico stare; (ap. Cic. in lubrico versari exstat.)

ex obliquo Ben. IV, 9, 1 Sed ne aliam disputationem ex obliquo habeam i. e. ne ad disputationem a proposito alienam deflectam. (Plin. II, 31, 31 non translate, sed proprie hanc locutionem usurpavit, quod idem in Ovidianum illud „ab obliquo" cadit. Similem vim habet „per obliquum", quod apud Horat. exstat, et „in obliquum", quo Liv., Ovidius et Plin. maj. utuntur.)

in obscuro Dial. XII, 19, 5 O quam multarum egregia opera in obscuro jacent, per obscurum Ep. 19, 3 exstat.

ex occulto Dial. IV, 10, 8. V, 1, 1 Id aliquando palam aperteque faciendum est — aliquando ex occulto, (praeiverunt Terent. et Cicero, qui ipsi quoque hac locutione usi sunt. „In occulto" apud Plaut., Cic., Liv., Tacit., „per occultum" apud Tacit. exstat.)

in optimo esse Ep. 95, 57 habitus animi non erit in optimo i. e. optime se habebit.

ex pari Ep. 59, 14 cum dis ex pari vivit (sapiens.) (Cfr. ea, quae supra de „ex aequo" disserui. Similiter Quint. Decl. 379 locutum esse Forcellin. testatur.)

in perversum Dial. VII, 5, 2 in perversum sollers, (de h. l. vid. p. 13.)

in plenum Ep. 91, 8 in plenum cogitanda fortuna est, (idem fere significat

atque „in universum.“ Cfr. Plin. XIII, 4, 7 Quod in plenum satis sit dixisse hoc in loco; id. XVI, 40, 79. Pomp. Dig. XL, 7, 11.)

in praeceps Dial. III, 7, 4 Ut in praeceps datis corporibus nullum sui arbitrium est; (hac locutione etiam alii utuntur, ut Liv., Vellej., Plin.)

ex praeparato Ep. 11, 1 non enim ex praeparato locutus est, sed subito deprehensus; (similiter jam Livius locutus est X, 41: Ad nutum omnia velut ex ante praeparato fiunt.)

a primo N. Q. III, 30, 1 sunt omnia, ut dixi, facilia naturae, ut quae a primo facere constituit = a principio; (praeeuntibus Plauto et Terentio etiam Cicero hac locutione saepius usus est.)

(in primo. Haec locutio N. Q. V, 14 init. exstat, sed Fickert. et Haasius auctoritate bonorum codicum, in quibus in omittitur, nixi in ejus locum „primo“ substituerunt.)

in privato Dial. IX, 3, 2 sed habet, ubi se etiam in privato laxe explicet magnus animus. Cfr. § 3 in privato publicum negotium agit. Ante Senecam Livius, apud quem etiam „in privatum“ et „ex privato“ inveniuntur, hac locutione usus est.

ex proposito Ep. 66, 36 ceterum bona quaedem prima existimat, ad quae ex proposito venit. (Dubitari potest an hujus locutionis eadem conditio sit atque ejus, cujus supra mentionem feci „ex commodo“, ut statuamus „proposito“ esse pro ablativo substantivi „propositum“ habendum. Certe quod Dial. VIII, 3, 3 exstat, sic intellegendum est.)

ex professo Ep. 14, 8 pars enim securitatis et in hoc est non ex professo eam non petere, quia, quae quis fugit, damnat, (recte ab Haasio ante „petere“ insertum est „non“, quod in Mss. desideratur.) Ep. 49, 5 illi (lyrici) ex professo lasciviunt, hi (dialectici) agere ipsos aliquid existimant; (praeter Senecam Quint. et Macrob. hac locutione usos esse Forcellin. testatur.)

in publicum Dial. V, 20, 5 in publicum humanus, Ep. 94, 46 M. Agrippa, vir ingentis animi, qui solus ex iis, quos civilia bella claros potentesque fecerunt, felix in publicum fuit; (similiter jam Cicero hanc locutionem usurpavit, apud quem etiam „in publico“ invenitur.)

in rectum Ben. VI, 24, 1 Et ne membra (infantium) libertas immatura detorqueat, in rectum itura constringunt. Ep. 50, 6 Sed nec indurata despero; nihil est, quod non expugnet pertinax opera et intenta ac diligens cura: robora in rectum quamvis flexa revocabis; (similiter jam Ovidius locutus est.)

ex remoto Ben. VII, 1, 5 ex remoto spectantibus; (Seneca solus hac locutione usus esse videtur.)

ex solido Clem. I, 1, 6 quibus veritas subest, quaeque, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso in majus meliusque procedunt.

in solido Ben. III, 4, 2 Praesentia bona nondum tota in solido sunt.

ex solito Ep. 78, 12 nullus (dolor) enim non signa praemittit, utique qui ex solito revertitur. (Seneca solus sic locutus esse videtur; aliam enim rationem esse apparet Vellej. II, 41 si quando aliquid ex solito variaret.

super solitum Ben. VI, 36, 1 Aetna — super solitum ardens et incensa = praeter consuetudinem, (apud Horat. „praeter solitum“ exstat.)

in sublime Dial. VI, 18, 4 erecti in sublime vertices, Ep. 88, 22 tabulata tacite in sublime crescentia; (etiam apud Cic. et alios haec locutio invenitur.)

in summo ponere Ep. 124, 2 Quicumque voluptatem in summo ponunt = summum bonum esse existimant.

in supervacuum Dial. IV, 11, 1 quid enim est iracundia in supervacuum tumultuante frigidius? Dial. VI, 1, 6. VIII, 3, 3 non nitetur sapiens in supervacuum; Ep. 70, 18 alia enim fortasse exercentur in supervacuum; Ep. 95, 54 In superv. praecepta jactavimus; Ep. 106, 12.

Ex supervacuo Dial. IX, 12, 1 Proximum ab his erit, ne aut in supervacuis aut ex supervacuo laboremus; Ep. 94, 32 Si quis, inquit, recta habet et honesta decreta, hic ex supervacuo monetur. (Utraque locutione significatur aliquid incassum et sine utilitate suscipi.)

in totum Dial. III, 17, 7 et in totum inaequalis est (ira) = in universum. N. Q. II, 27, 3. Ep. 20, 6. 31, 5. 71, 33. 85, 24. 94, 3 non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum; 94, 31 utraque res praecipit, sed altera in totum, particulatim altera; Ep. 122, 9; (praeter Senecam et Columellam Plin. maj. 2, 90 et saepius sic loquitur.)

ex toto Dial. II, 15, 4 Vis tu fortius loqui et illam ex toto submovere? = prorsus, omnino; D. IX, 10, 5. XI, 5, 5. Ben. IV, 4, 3. V, 13, 3. VII, 20, 3. N. Q. VI, 30, 2, ubi opponitur „ex parte“; Ep. 75, 11 nimis imminere leviter petendis vel ex toto non petendis (= prorsus, omnino non); Ep. 87, 24. (Hac locutione etiam Ovid. Cels. Colum. Plin. maj. utuntur.)

in tranquillo Ep. 98, 7 certe in tranquillo non tumultuatur; (similiter jam Terent. et Cicero locuti sunt.)

ex tranquillo Benef. VII, 3, 2 Quemadmodum di immortales regnum inermes

regunt et illis rerum suarum ex edito tranquilloque tutela est; (similiter jam Plaut. locutus est et Terent., apud quem „e tranquillo" = e tranquillo mari.)

ex transverso Ep. 117, 21. Dial. VII, 15, 6 morbos dico, funera, debilitates et cetera ex transverso in vitam humanam incurrentia. (Haec locutio jam apud Plautum exstat, „de transverso" apud Cic. et Auctor. ad Herenn., „in transversum" et „per transversum" ap. Plin. majorem saepius. Senecae quidem, cum illa scriberet, nescio an locus Ciceronianus obversatus sit, ubi haec leguntur: Cujus in adolescentiam, per medias laudes quasi quadrigis vehentem, transversa incurrit misera fortuna reipublicae.)

in tuto Dial. III, 3, 4 Potest ergo et ille — in tuto subsistere; Dial. X, 7, 9 vita jam in tuto est; Clem. I, 7 jam vota publica in tuto sunt; (praeiverunt Terentius et Cicero.)

in tutum Ep. 14, 3 et in tutum nos reducamus; (similiter Plaut. Liv. Nepos locuti sunt.)

ad ultimum Dial. IV, 26, 3 ad ultimum quid est dementius —? N. Q. VI, 6, 4 Primum — deinde — ad ultimum; Ben. VI, 26, 1 „ad ultimum" tempus indicat, ut jam Livius dixit. In enumeratione Seneca solus hac locutione usus esse videtur.

in universum Ep. 22, 2 Quid fieri soleat, quid oporteat, in universum et mandari potest et scribi; 100, 12 Ceterum verbis abundabat (Fabianus), sine commendatione partium singularum in universum magnificus. (Eadem vi haec locutio apud Livium, Plin. maj., Tacitum praedita est.)

in unum Dial. V, 16, 2 conferre in unum; Ben. VI, 22 eant in unum omnia; Ep. 85, 22 in unum coacta. (Similiter Sallust. Cic. Liv. Verg. Ovid. locuti sunt.)

(ex uno N. Q. III, 29, 2 neque enim ex uno est tanta pernicies, ubi „ex uno" idem fere est atque ex una re.)

in vacuum Dial. III, 1, 6 taurorum cornua jactantur in vacuum. „In vacuum" hoc loco idem fere est ac frustra, εἰς μάτην.

in vanum Ep. 31, 4 itaque in vanum operosos culpaverim = frustra. (Seneca solus sic locutus esse videtur, apud Livium exstat „ad vanum" et „ex vano" 33, 31 non tota ex vano criminatio erat.)

ex vero Dial. VI, 25, 2 nec ex conjectura, sed omnium ex vero peritus. (Similiter praeter Senecam Ovidius locutus est Fast. 2, 859 Ex vero positum permansit Equiria nomen.)

in vicino Dial. IX, 9, 1 praesertim cum in vicino remedium sit; D. X, 15, 4 quoniam quidem in vicino versatur invidia, simplicius longe posita miramur. (Eodem

modo hanc locutionem praeter Celsum Plinius major saepius usurpat, qui idem „e vicino" habet.)

Jam vero adjectiva a Seneca more poetarum saepenumero loco adverbiorum ponuntur, veluti Dial. III, 11, 6 bellum in Africam transtulit tam lentus. Denique Ep. 86, 1 Cambyses furiosus dixit omisso vocabulo „homo".

In adverbiorum usu Seneca poetas imitatus a priorum prosae orationis scriptorum consuetudine eo recessit, quod praeter adverbia, quibus vis adjectivorum augetur, velut „valde, admodum" multa alia eis adjunxit. Nescio an operae pretium sit aliquot locos afferre: Dial. II, 18, 1 igitur exstat contumeliosus mirabiliter, D. VI, 18, 4 aliterque mirabilis, D. VII, 23, 2 optime divitem, D. X, 18, 5 infeliciter superbi regis, D. XII, 13, 6 fortiter miser; Ben. II, 10, 1 inutiliter verecundus, IV, 31, 5 hominem tam palam obscoenum. VI, 11, 2 feliciter inertem, VI, 25, 5 perverse grati, VI, 37, 1 intemperanter libera (civitas); N. Q. I, 1, 10 vere magna, ib. 13 aequaliter citus, VI, 1, 7 publice noxium; Ep. 47, 17 superbe superiorem, Ep. 73, 5 effusius gratus, Ep. 85, 19 perfecte beatum, ib. 20 summe beata, Ep. 93, 12 tam stulte cupidum, Ep. 100, 10 oratorie acre, tragice grande, comice exile. Quibus locis addendi esse videntur hi: Ep. 94, 72 parvo divitem, Ep. 31, 4 in vanum operosi, Ep. 100, 6 ex horrido comptam, D. II, 17, 2 per contumeliam urbanus, D. VII, 5, 2 in perversum sollers.

Etiam in pronominum usu Seneca aliquatenus a prioribus differt. Nam pro recepto „nemo sapiens" dixit „nullus sapiens (Dial. II, 2, 1) et „quisquam", „ullus" ibi posuit, ubi exspectes „aliquis"; cfr. Ben. V, 1, 3 jam bonitas tua eo usque prolapsa est, ut tibi dari putes beneficium, quod ulli datur, Ep. 33, 4 omnia, quae quisquam in illo contubernio locutus est, unius ductu et auspiciis dicta sunt, Ep. 71, 35 si quicquam ex studio et fideli intentione laxaverint, retro eundum est. Contra „quid" exstat Ep. 44, 1, ubi „quidquam" exspectatur (si quid est aliud in philosophia boni, hoc est). Digni etiam, qui afferantur, videntur hi duo loci esse: Ep. 51, 2 sed quemadmodum aliqua vestis sapienti ac probo viro magis convenit quam aliqua et Ep. 88, 27 et qualis forma, speculi quales imagines reddat. Denique secundum consuetudinem illius saeculi ablativis pronominum saepius utitur in ejusmodi enuntiationibus: Quo alio Fabius adfectas imperii vires recreavit quam quod — (Dial. III, 11, 5). Cfr. Dial. IV, 8, 3 hoc autem uno differunt. Ben. IV, 18, 1 quo alio et paulo infra „hoc uno". Ben. II, 25, 1 Nullo magis Caesarem Augustum demeruit, — quam quod. N. Q. VI, 16, 2 nec ullo alio. Ep. 33, 2 sed illo magis adnotantur, quia. —

Etiam in modorum et conjunctionum usu Seneca a prioribus differt. Ac

primum in sententia primaria enuntiatorum conditionalium saepius quam ei, qui ante eum latine scripserunt, indicativo utitur pro conjunctivo, veluti sic: Ben. VI, 3, 1 o quantum habere potuit, si voluisset. Ben. V, 25, 1 Tacendum erat et exspectandum, si inter sapientes viveremus. (Cfr. Dial. VI, 22, 6. Ep. 4, 3. 76, 26). Dial. III, 11, 5 Perierat imperium —, si Fabius tantum ausus esset. Cfr. D. IV, 33, 6. X, 1, 3. XII, 19, 6. Ben. VI, 38, 2. VII, 9, 4. Ep. 92, 35. 97, 16. 114, 4. N. Q. I, Pro. 4 nisi ad haec admitterer, non fuerat nasci; (quod in editione Bipontina additur „operae pretium", auctoritate codicum caret). Quibus exemplis enuntiatorum conditionalium alia a recepto usu etiam longius recedentia addere libet. Dial. XII, 10, 9. superfuturum sibi sestertium centies computavit (Apicius) et velut in ultima fame victurus, si in sestertio centies vixisset, veneno vitam finivit. Cfr. Dial. V, 16, 3. VI, 24, 2 et 26, 2. XII, 10, 9. Clem. I, 3, 5. Ben. V, 14, 1 et 19, 4. N. Q. VII, 3, 3 et 16, 1. Ep. 3, 4. 19, 9. 95, 53. 104, 21.

Jam vero indicativum Seneca saepe cum forsitan conjunxit, velut N. Q. V, 9, 4 non habet forsitan. Cfr. Ep. 26, 9. 87, 14. 92, 18. 94, 50.

Deinde conjunctiones concessivae quamquam et quamvis more illius saeculi, cujus originem ab aliquot Livii et poetarum locis repetendam esse verisimile est, a Seneca ita confunduntur, ut „quamvis" cum indicativo, velut Ben. III, 32, 5 et „quamquam" cum conjunctivo, ut Ben. VI, 23, 7 conjungantur. In transitu commemoro Haasium indicasse etsi apud Senecam nusquam reperiri.

Quid? quod Seneca eo audaciae processit, ut etiam in oratione obliqua indicativum pro conjunctivo usurparet. Quam in rem conferre licet duos locos N. Q. VII, 23, 1 et VII, 25, 1. Sed de priore quoniam adhuc „sub judice lis est", operae pretium videtur esse totum proponere. Verba igitur, quae N. Q. VII, 23, 1 leguntur, haec sunt: Etiamnunc ignis aut it, quo illum natura sua ducit, id est sursum, aut eo, quo trahit materia, cui adhaesit et quam depascitur: nullis ignibus ordinariis et coelestibus iter flexum est. sideris proprium est ducere orbem: atqui hoc an cometae fecerunt alii, nescio: duo nostra aetate fecerunt. Quem locum priusquam paulo accuratius examinemus, monendi sunt lectores, ne offendantur particula an pro num posita, siquidem Seneca innumerabilibus locis sic ea usus est et semel etiam an — an dixerit (Ep. 88, 8). In indicativi locum ei, qui inde ab Erasmo usque ad Fickertum Nat. Quaest. ediderunt, omnes conjunctivum substituerunt. Haasius primus ausus est „fecerunt" in ordinem verborum recipere fretus auctoritate codicum, qui omnes indicativum exhibent quique modo ordine verborum atque eo inter se differunt, quod in Bambergensi loco „an" „antehac" invenitur. Quod vocabulum nisi pro glossemate habendum

est, nescio an inde genuina lectio erui possit. Nam si Seneca ipse „antehac", quod verbum ab hoc loco alienum non est, scripsit, facile fieri potuit, ut „an" ante „antehac" omitteretur, quo facto alius librarius, qui animadverteret non esse, unde conjunctivus penderet, in ejus locum indicativum substituit. Sed hoc alii dijudicent. Transeo ad alterum locum, qui exstat N. Q. VII, 25, 1 „qualia sunt, ignoramus, quam codicum scripturam etiam Fickertus recepit.

Restant aliquot loci, quibus conjunctiones ut, quominus, quin singulariter usurpatae sunt. Atque ut sequitur „sollicitus sum" Ep. 98, 6 (animus), qui sollicitus est, ut ea, quibus delectatur, ad extremum usque permaneant. Pro „ut" potius exspectes „ne", quod apud Justinum 2, 7 invenitur. Nec minus a recepto usu Seneca discessit, quod Ben. III, 33, 2 et 3 adiciendi verbum cum „ut" conjunxit, (adice, ut idem patrem reum defendat et conspirationi inimicorum potentium eripiat). Deinde quominus verbis persuadendi et vetandi adjunxit. (Dial. III, 4, 2 nulla quominus fiant ratio persuadet, Ep. 95, 8 at haec', quae artem vitae professa est, nulla re quominus se exerceat, vetari potest). Denique quin sequitur manifestum est Ben. VI, 7, 2 Nam si coactus aliquid boni fecit, quin nos non obliget, manifestius est, quam ut ulla in hoc verba impendenda sint.

Infinitivus a Seneca saepius usurpatur quam a ceteris plerisque scriptoribus. Quod ne miremur, reputemus ei, cum e more suae aetatis breviter loquendi studio flagraret, infinitivum ad id efficiendum valde idoneum visum esse. Ac primum saepenumero substantivi loco usurpatur. Praetermitto et eos locos, quibus infinitivus cum praepositione conjungitur, ut Ben. V, 10, 1 Etiamnunc multum interest inter dare et accipere et eos, quibus nominis vel pronominis explicandi gratia apponitur, ut Ben. III, 33, 2 adice, ut — majorem nobilitatem nobili viro adiciat dici Scipionis patrem, Ep. 12, 5 aut hoc ipsum succedit in locum voluptatium nullis egere, siquidem haec loquendi genera ne a Cicerone quidem aliena sunt.

Sed a recepto usu prorsus abhorrere videtur, quod Seneca genetivum cum infinitivo conjunxit Ep. 101, 13 Quid autem hujus vivere est? diu mori, cui simile alterum exemplum equidem proferre non possum.

Subjecti vice fungitur infinitivus non solum in iis sententiis, quarum praedicata sunt verba prodesse (N. Q. VI, 3, 1. Ep. 25, 5; 36, 4; 43, 4; 82, 4; 83, 1), nocere (Dial. III, 6, 5; VI, 20, 4; VII, 1, 4; Ep. 14, 10), sed etiam alia. Quam in rem conferantur Ben. VI, 7, 4 cum utrique velle defuerit, Ep. 98, 11 habere eripitur, habuisse nunquam, Ep. 74, 4 paremque passis tristitiam facit pati posse. Deinde infinitivus subjectum est earum sententiarum, quarum praedicatum ex verbo

esse et substantivo constat, velut magnus erat labor ire in coelum; nec enim bonitas est pessimis esse meliorem. E largissima copia exemplorum, quae fere in omni pagina deprehendere licet, ea tantum eligam, quae ob breviloquentiam vel aliam ob causam insignia sunt. Ep. 117, 6 igitur haec leguntur: Et apud nos veritatis argumentum est aliquid omnibus videri. Quo loco verbis „aliquid omnibus videri“ significari *der Umstand, dass allen etwas als wahr erscheint* et ex eis, quae praecedunt (multum dare solemus praesumptioni omnium hominum) et ex sequentibus exemplis intellegitur, (tamquam deos esse inter alia hoc colligimus, quod omnibus insita de dis opinio est). Ben. VII, 12, 6 Non est argumentum ideo aliquid tuum non esse, quia vendere non potes. Agmen cogat locus, in quo duo infinitivi inveniuntur, quorum unus subjecti, alter praedicati vice fungitur. Dial. XII, 19, 7 Haec non ideo refero, ut laudes ejus exsequar, quas circumscribere est tam parce transcurrere. —

Objectum infinitivus est non solum verborum scire, nescire, discere, docere, quibus etiam a Cicerone aliisque prioribus scriptoribus infinitivus additur, sed etiam verborum habere, dicere, vocare. Cfr. Ep. 117, 28 maximum argumentum habeo nondum praesentis futurum esse. Ep. 87, 19 ne quietem quidem et molestia vacare bonum dicam. Ben. II, 27, 2 ex diversis ac dissidentibus bonis hominem non esse compositum injuriam vocant, cfr. III, 9, 2. Quibus locis addendi videntur esse hi: Ep. 102, 30 qui mori sperat, ubi mori nihil aliud est nisi mortem et Dial. II, 10, 4 nulla virtus est, quae non sentiat perpeti i e. quae non sensu aliquo afficitur, cum perpetitur aliquid mali. Restat unus locus, quo verbum vitandi cum infinitivo conjunctum est. Ep. 81, 22 Itaque ingrati esse vitemus, qui locus ab eis, quos supra attulimus, eo differt, quod verbum vitandi cum nominativo c. inf. conjunctum est, tamquam esset in numero verborum modalitatis, quae dicuntur, habendum.

Jam vero ea verba enumeremus, quae cum a prioribus aut nusquam aut raro cum infinitivo conjungantur, a Seneca fere semper sic usurpantur. Qua in re exsequenda id egi, ut nullum locum praetermitterem. Ordiri libet a verbis modalitatis, quae dicuntur.

cogitare Dial. VI, 1, 3 nec furtum facere — cogitem, Ben. II, 10, 2. VI, 19, 4 N. Q. IV, 5, 3. Ep. 25, 1. 86, 21. (Haud ignoro jam Ciceronem verbum cogitandi ita usurpavisse.)

concupiscere Ep. 39, 2 concupisces et ipse ex illis unus esse. Ep. 80, 4. Etiam huic verbo Cicero infinitivum addidit.)

desiderare Dial. II, 8, 2 juvari desiderant. Ep. 9, 1. 17, 4. 33, 1. 45, 3, 74, 20. (Praeter Senecam Cic. et Plin. maj. ita hoc verbum usurpaverunt.)

dedignari Dial. II, 13, 2 intueri dedignatur. (Verbum poetarum est et a Seneca et Tacito solis c. inf. conjungi videtur.)

destinare Ep. 45, 1 qui, quo destinavit, pervenire vult. (E prioribus jam Caesar et Livius sic locuti sunt.)

dignari Dial. X, 2, 5 non audire dignatus es. D. XII, 10, 3.

fastidire Clem. I, 21, 4 quibusdam libenter parcas, a quibusdam te vindicare fastidias. (Etiam alii sic verbum fastidiendi usurpaverunt, ut Liv., Petron. Ovid.)

gestire Dial. VI, 23, 2. IX, 1, 14. XII, 4, 2. (Haud ignoro Ciceronem quoque sic hoc verbum usurpasse.)

meditari Dial. IV, 21, 5 meditatus est — ire. Ep. 121, 8 sic infans, qui stare meditatur. (Cicero et Nepos id praeiverunt.)

perseverare Dial. I, 4, 11. VII, 18, 2. Ben. I, 2, 4. II, 14, 2. IV, 15, 4. IV, 39, 2. Ep. 29, 7. 36, 3. 41, 1. 55, 2. 59, 12. 71, 35. 104, 1 et 3. (Cicero, Caesar, alii quoque cum infin., sed multo rarius jungunt.)

quaerere Dial. III, 16, 3 mori quaeris. Ep. 109, 8. 118, 6. (Soli poetae, ut Ovidius, cum inf. conjungunt.)

In eo numero referenda esse videntur etiam haec verba:

adigere Dial. IV, 36, 6 avaritiam durissimum malum minimumque flexibile ira calcavit adacta opes suas spargere; VII, 15, 7 ad hoc sacramentum adacti sumus ferre mortalia. (Livius et Gellius similiter loquuntur.)

aggredi Clem. I, 26, 1 exscindere aggressi sunt. (Haud ignoro etiam Ciceronem verbum sic usurpavisse.)

adsuescere Ep. 94, 20. (Cicero quoque sic locutus est, sed participium adsuetus soli poetae eosque imitatus Seneca Dial. VI, 23, 2 cum inf. conjunxerunt.)

abominari Ben. VII, 8, 1 Haec universa habere, de quibus loqueris, abominabitur. (Praeter Senecam solus Prudentius sic dixisse videtur.)

certare Ben. I, 9, 4 Iam rapta spargere, sparsa — recolligere certant. (Poetarum sermonem imitatus est.)

desistere Dial. VI, 13, 2. Ep. 63, 12 id facere desiste. Ep. 121, 4. (Cicero quoque cum infin. junxit.)

erubescere Dial. VI, 25, 3. Clem. 17, 1. Ep. 25, 2. 50, 5. 76, 2 ad philosophum ire erubescam? Ep. 94, 57. (Etiam Cic., Valer., Max., Curtius huic verbo infin. adjungunt.)

gaudere Dial. II, 13, 5 suspici gaudeat. V, 2, 6 gaudent feriri. V, 36, 4 admoneri bonus gaudet. N. Q. III, 1, 7. Ep. 102, 18. (Poetarum sermonem imitatus est.)

intendere Dial. II, 4, 1 etiam cum potentes — nocere intendunt. (Similiter ante Senecam jam Sallust. et Liv. locuti sunt.)

luctari N. Q. II, 17 et dum luctatur (spiritus) per obstantia atque intercisa vadere, ipsa ignem fuga accendit. (Vergil. et Ovidium imitatus est.)

metuere Dial. IX, 17, 1.

merere Dial. III, 17, 6 qui perire meruerunt. Ep. 93, 10. Clem. I, 5, 6 meritis amittere. Clem. I, 6, 3. (Ovid. et Valer. Flacc. quoque cum inf. conjungunt, cum apud Ciceronem aliosque ut vel ne sequatur.)

subigere Ep. 85, 41 pati subigunt. (Sallust. et Vergilius praeiverunt.)

sustinere Dial. III, 10, 3. XII, 9, 6 Idem Brutus ait C. Caesarem Mytilenos praetervectum, quia non sustineret videre deformatum virum. Clem. I, 19, 5. Ben. IV, 15, 3. N. Q. III, 8, 6. Ep. 47, 8. 86, 16. (Ovidium imitatus esse videtur.)

temptare Dial. II, 4, 1 Quid ergo? non erit aliquis, qui sapienti facere temptet injuriam? III, 6, 2. III, 16, 2. IV, 29, 1. V, 1, 1. V, 43, 1. Ben. III, 12, 4. IV, 29, 1. N. Q. IV Prooem. 20. Ep. 94, 31. (Poetae et ex prosae orationis scriptoribus Nepos cum infin. conjunxerunt.)

timere Dial. V, 32, 1. Clem. II, 6, 2. Ep. 3, 3. 29, 1 quod audire verum timet. Ep. 65, 24. (Etiam Cic. verba timendi et metuendi sic usurpavit.)

vacat = otium est. Dial. VI, 19, 3. X, 10, 2 nec enim illis vacat praeterita respicere. Ben. IV, 20, 3. N. Q. III, 27, 12. Ep. 47, 7. 56, 9. 109, 17. (Poetarum, ut Vergilii sermonem imitatus est.)

Eis, quae attulimus, verbis adjungimus ea, quae conjunctiones ut, ne, quominus sequi solent.

adhortari Dial. V, 15, 3 non adhortabimur ferre imperia carnificum.

contingit Dial. II, 13, 4 Habes sub te Parthos et Medos et Bactrianos, sed quos metu contines, sed propter quos remittere arcum tibi non contigit, sed postremos, sed venales, sed novum aucupantes dominium. V, 39, 1. VI, 13, 4. VI, 15, 4. VII. 24, 4. VII, 27, 5. VIII, 1, 2. XII, 18, 6. Clem. I, 5, 7. I, 8, 4. Ben. II, 2, 2. IV, 37, 1. VI, 29, 1. VII, 14, 4. Ep. 19, 5 et 8. 22, 11. 24, 6. 27, 4. 31, 4. 42, 10, 66, 42. 71, 9 et 37. 75, 9. 77, 20. 87, 17. 90, 20. 98, 8. 101, 15. 115, 6. 117, 20. (Hujus structurae apud alios scriptores pauca exempla exstant.)

consentire Dial. VIII, 7, 2 de quo male existimare consensimus. (Cicero ipse quoque sic locutus est Agrar. I, 5, cum alias homines consentire ad faciendum aliquid dicantur.)

dare Clem. I, 8, 3 nam illos (deos) quoque coelum adligatos tenet nec magis illis descendere datum est quam tibi tutum. N. Q. V, 8, 3. Ep. 124, 5 et 20.

hortari Dial. II, 16, 3 utraque exempla hortantur contemnere injurias. (Etiam Cicero aliique c. infin. conjungunt.)

interdicere Ep. 116, 1 nam cum tibi cupere interdixero. (Praeter Senecam soli Sueton. et Paul. Dig. verbum interdicendi cum inf. junxerunt.)

monere Ep. 24, 16 Quod facere te moneo. (Cicero quoque hoc verbum sic usurpavit de Fin. I, 20, sed non addita persona, quae monetur.)

permittere Dial. I, 6, 5 permisi vobis metuenda contemnere, cupiditates fastidire. Dial. III, 7, 4. IV, 33, 6. V, 16, 4. VI, 8, 3. VII, 24, 4. VIII, 6, 3. IX, 10, 5. X, 13, 6. XI, 7, 4. Ben. I, 3, 2. IV, 12, 2. IV, 26, 1. IV, 29, 1. VI, 31, 11. VII, 5, 3. N. Q. II, 35, 1. III, 18, 1. V, 15, 1. VI, 19, 1. Ep. 13, 17. 19, 8. 24, 9. 47, 14. 52, 1 et 14. 58, 6. 59, 1. 66, 48. 68, 8. 79, 7. 80, 1. 85, 12. 90, 37. 91, 2. 97, 8 quo (Catone) sedente populus negatur permisisse sibi postulare. Ep. 99, 16. 107, 10. 116, 1 et 2 et 4. 121, 5. (Exempla hujus structurae quamvis e Ciceronis aliorumque libris afferantur, tamen perpauca sunt. In transcursu commemoro hoc verbum cum gerundivo conjunctum inveniri Ep. 62, 3 Demetrius autem noster sic vivit, non tamquam contempserit omnia, sed tamquam aliis habenda permiserit).

praecipere Dial. VII, 8, 1 ideoque praeceperunt veteres optimam sequi vitam, non jucundissimam. (Etiam Cicero sic dixit.)

persuadere Dial. X, 13, 4 quis Romanis primus persuaserit navem conscendere. (Praeter Senecam, si fides lexico a Forcellin. confecto habenda est, Nepos et Gellius soli sic dixerunt.)

suadeo Dial. V, 32, 3 Ego vero nihil magis suaserim quam sumere ingentem animum. Clem. I, 12, 4. Ep. 24, 4. 109, 15. (Etiam Cicero cum infin. conjunxit.)

Praetermitto verbum prohibendi, quod Ep. 85, 38 et 92, 26 ipsum quoque cum inf. junctum exstat, propterea quod Caesar ubique fere hoc verbum sic usurpavit.

Iam vero adjungamus adjectiva, quae praeter morem receptum cum infinitivo conjuncta sunt.

contentus Dial. V, 24, 1 ille tamen contentus fuit a conviciatore suo secedere. VIII, 5, 6. Clem. I, 21, 3. II, 4, 1. Ben. I, 1, 5. IV, 11, 1. VII, 16, 4. VII, 30, 2. Ep. 17, 4. 58, 6 fortasse contentus ero mihi licere. Ep. 75, 2. 76, 29. 79, 11. 85, 1 et 41. 89, 20. 95, 10. 111, 4. 119, 14. (Hac locutione, cujus loco apud priores „satis habere“ inveniri notum est, praeter Senecam Vellejus, uterque Plinius, Quintil. alii et ex poetis Ovid., Valer. Flacc., Silius usi sunt).

dignus Ben. I, 1, 9. IV, 23, 2 dignusque adorari, (paulo infra „digna suspectu luna“ exstat). N. Q. VI, 4, 1. VI, 30, 5. Ep. 77, 6. 89, 15. (Sunt tamen etiam loci, quibus e more priorum usurpatum est, velut Dial. V, 18, 2 Dignus erat Marius, qui illa pateretur. Cum infinitivo solos poetas et posteriores prosae orationis scriptores hoc verbum conjungere constat.)

facilis Ep. 18, 5 corripi facilia. (Poetas imitatus est.)

idoneus Ep. 102, 23 idonei spiritum trahere. (Similiter Horat. Ep. 1, 16, 12 Fons etiam rivo dare nomen idoneus.)

insolitus Dial. IX, 1, 10 ubi aliquid animam insolitam arictari percussit. (Sic praeter Senecam nemo alius dixisse videtur. Apud Plin. min. Panegyr. 60 ut sequitur.)

natus Ep. 95, 21 pati natae.

Postremo addere libet quaedam a recepto loquendi genere discrepantia exempla accusativi cum infinitivo, qui dicitur. Atque Ep. 124, 1 sic usurpatum invenitur verbum laborandi (quod ne nunc quidem fieri laborabo) et Clem. I, 12, 1 verbum persuadendi (sed quotiens id fieri publica utilitas persuadet). Quid? quod sic etiam rumpi et torqueri usurpantur? Cfr. Dial. VI, 22, 5 non rumperetur supra Cn. Pompeji constitui Sejanum? et Dial. IX, 16, 1 Necesse est torqueri tam iniqua praemia fortunam persolvere. A lexicographis docemur „rumpi“ vel „torqueri“ interdum eum dici, qui aegerrime ferat aliquid et apud Plin. Ep. 7, 30 exstare: Torqueor, quod discipulum optimae spei amisisti et apud Ovid. Her. 9, 36 Torqueor infesto ne vir ab hoste cadat, sed neminem praeter Senecam cum accusativo c. inf. conjunxisse. Non dubito *ich zweifle nicht* et non dubium est sequitur acc. c. inf. Dial. X, 1, 2. X, 2, 1. Clem. I, 13, 5. I, 17, 3. Ben. VI, 27, 3. N. Q. II, 37, 1. IV Praef. 1. Ep. 100, 12. 52, 15. 114, 11. Ben. II, 17, 3. Contra dubito *ich trage Bedenken* Ep. 66, 51 (Ego dubitem quin magis laudem?) cum quin conjunctum est. Nec tamen ignoro utramque structuram etiam apud priores inveniri.

Etiam in particularum, quae dicuntur, usu Senecae sermo multum a priorum loquendi genere differt. Qua de re priusquam exponam, affere libet locum praefationis alterius tomi editionis Haasii, ubi de hac, quae agitur, re doctissimus vir sic disputat: Dicendi vero usus accurata observatio cum ad alias res graviores est necessaria — neque enim sine ea fieri poterit, ut tandem aliquando condatur linguae latinae historia causis suis rationibusque explicata —, tum ad emendationem magnum mihi hoc auxilium fuit, multo id magis futurum, si quis dedita opera plene hanc materiam pertractaverit. Nullum autem vitiorum genus in Senecae libris mss. frequentius est, quam quod ad vincienda et distinguenda orationis membra pertinet; librarii enim

ferre non poterant crebra asyndeta aut in vocabulis demonstrativis relativorum loco positis desiderabant elegantiam et nesciebant plura quam olim adverbia conjunctionum vice fungi, nec satis cognitas habebant dicendi formulas certas quasdam, quae et ipsae ad conjungendas vel disjungendas orationis partes constanti usu receptae erant, partim illae a poetis primum inductae, partim e scholastica declamandi consuetudine et usu forensi adscitae, partim etiam inventae illa aetate, qua scriptores ingeniose ambitiosi pro se quisque in dicendi arte erant novarum rerum studiosi, cum sermo rectus, ut ait Quintilianus, et secundum naturam enunciatus nihil habere ex ingenio videretur, illa vero, quae utcumque deflexa essent, homines admirarentur. Sed de toto hoc genere vario et multiplici ego nunc pauca exempla proferre satis habeo, quae ad particularum quarundam usum pertinent.

Eis, quae Haasius de particulis etiamnunc, utinam quidem et de formula ita est profert, ego nihil adiciendum puto, nisi quod animadverti Senecam pro etiamnunc, quod saepenumero apud eum idem est atque etiam, velut Dial. IV, 5, 1 Illud etiamnunc quaerendum est, uno loco nunc et nunc quoque inveniri. Nam N. Q. IV Praef. 18 haec exstant: Adice nunc invictum muneribus animum et in tanto avaritiae certamine numquam suppositam manum lucro, adice nunc quoque victus parsimoniam —. Jam vero de aliis particulis pauca addere libet. Ac primum a recepta consuetudine discessit Seneca pro nec quisquam, nec quidquam dicendo nullusque, nihilque, velut Dial. V, 8, 3 nullique, de Clem. I, 19, 5 nullumque, Dial. III, 15, 1 nihilque, (cfr. VI, 25, de Clem. II, 5, 4. Ep. 92, 6), quibus locis adici possunt Dial. VII, 123, 5 et nihil, Dial. VI, 16, 8 et nunquam, Dial. IX, 2, 15 et non. Deinde Seneca et saepius pro etiam usurpat, quod ut exemplis probem, ea sola eligam, quae etiam aliam ob causam conspicua sunt: Dial. III, 20, 6 aut et bonum erit aut nec magnum; Ep. 92, 1 et haec autem nostra eadem est, quae ex illa est; Dial. VII, 9, 1 non enim hanc praestat, sed et hanc; Ep. 88, 17 sic scio et non utique casura; Ep. 103, 1 sed possunt et non evenire. Semel pro „et“ „quoque“ invenitur. N. Q. III, 29, 4 non incursu maris, sed maris quoque incursu. Hoc in numero etiam referendus est locus, qui exstat Ben. V, 20, 5: Praestiti patri ejus, quod ipse praestare voluisset nec non et debuisset, quo loco quod exstat „nec non et“ Seneca, nisi fallor, ex Vergilio sumpsit, apud quem illa formula transitioni inservit, aut ex Ovidio, qui ipse quoque sic dixit, velut Met. VIII, 749, 750 nec non et cetera tanto silva sub hac, silva quanto fuit herba sub omni. Quid? quod pro ne — quidem et non, quidem non, pluries nec, interdum etiam nec — quidem usurpat. Quam in rem conferendi sunt hi loci: De Ben. II, 21, 6 rogo, inquit, ignoscas et a Persico non

accepi = ne a Persico quidem; N. Q. VII, 31, 2 colores matronis quidem non induendos viri sumimus; Dial. IX, 17, 9 Sed nec saepe faciendum est, (cfr. Ep. 66, 12. 90, 45); de Clem. I, 5, 4 nec deprecaturus quidem, (cfr. de Clem. I, 25, 5. Ben. I, 4, 1. V, 19, 7. VII, 14, 6. VII, 18, 1). Quibus locis nescio an addendus sit N. Q. VII, 30, 5, quem locum Haasius optimis codicibus nixus sic exhibuit: Quam multa animalia hoc primum cognovimus saeculo! quam multa negotia ne hoc quidem. Multa venientis aevi populus ignota nobis sciet. Fickertus, qui, quamvis locum jure minime sanum esse judicet, acriore tamen medicina usus est, edidit: Quam multa animalia hoc primum cognovimus saeculo? et quidem multa venientis aevi populus ignota nobis sciet. Mihi quidem locus non ita difficilis ad emendandum esse videtur. Nam quum Seneca toto loco id agat, ut demonstret, multas partes mundi adhuc latere nec satis notas esse, sed futuro tempore in lucem prolatum iri cumque confirmandae sententiae causa exemplum animalium afferat, quorum alia illo saeculo primum cognita, alia adhuc incognita esse dicit, apparet verbum „negotia" ab illo loco alienissimum esse. Quaerenti autem mihi, unde istud vocabulum in hunc locum irrepserit, duplex hujus quaestionis solvendae ratio proposita est. Atque antea mihi verisimile esse visum est Senecam edidisse n e c h o c, cujus loco cum librarius quidam scripsisset n e g o t i a hoc verbum in textu etiam tum relictum esse putabam, cum supplendae sententiae causa „ne hoc" additum esset. Nec silentio praetereundum est, vocem „nec", quam in locum particulae „ne" substitui, in Cod. Pal. 4 exstare, in quo locus ille sic exhibetur: saeculo, quam multa negocia nec quidem hoc multa saeculis tunc futuris. Ne quis vero offendatur verbis „quidem" et „nec" conjunctis, tenendum est Senecam etiam aliis particulis et adverbiis verbum „quidem" addere solere. Nam praeter formulam illam, quam supra commemoravimus „utinam quidem", etiam his verbis additum est: q u o n i a m (Cfr. N. Q. VI, 2, 1 Ego vero hoc ipsum solatii loco pono et quidem valentissimi, quoniam quidem sine renedio timor stultis est, (Ep. 26, 1. 29, 8. 45, 11), q u a m d i u q u i d e m (Dial. VII, 1, 2), c e t e r u m q u i d e m (Dial. X, 2, 2). Sed nunc mihi alia loci emendandi ratio praeferenda esse videtur. Senecam puto ita scripsisse: „Quam multa animalia hoc primum cognovimus saeculo! quam multa ne hoc quidem. Multa negotia venientis aevi populus ignota nobis sciet. multa saeculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservantur." Verba „ne hoc quidem. Multa" a librario quodam, cujus oculi a priore „multa" ad posterius aberrarunt, omissa postea non, ut fieri debebat, ante „negotia," sed post hoc verbum inserta sunt.

Jam vero particulae, per quas aut simile aliquid aut exemplum inducitur, hae fere praeter receptas apud Senecam inveniuntur: c e u, quo poetae soli usi sunt (N.

Q. VI, 24, 1 ceu cum—), sicut (N. Q. II, 22, 1 Quoniam constat utramque rem igneam esse, videamus, quemadmodum ignis fieri soleat apud nos — duobus modis: uno, si excitatur sicut ex lapide, altero, si adtritu invenitur, sicut cum duo ligna inter se diutius fricta sunt; non omnis hoc tibi materia praestabit, sed idonea eliciendis ignibus, sicut laurus, hederae et alia in hunc usum nota pastoribus), tamquam (Ep. 82, 10), puta (Ep. 90, 31 ego nec Anarcharsim auctorem hujus rei [rotae figuli] fuisse contendo et, si fuit, sapiens quidem hoc invenit, sed non tamquam sapiens, sicut multa sapientes faciunt, qua homines sunt, non qua sapientes: puta velocissimum esse sapientem: cursu omnes anteibit, qua velox est, non qua sapiens, ut puta (N. Q. II, 2, 3. Ep. 47, 15 Erras, si existimas me quosdam quasi sordidioris operae rejecturum, ut puta illum mulionem et illum bubulcum), ecce (Ep. 58, 7 Rogo itaque permittas mihi hoc verbo *[οὐσία]* uti; nihilominus dabo operam, ut jus a te datum parcissime exerceam: fortasse contentus ero mihi licere. Quid proderit facilitas tua, cum ecce id nullo modo latine exprimere possim, propter quod linguae nostrae convicium feci *[τὸ ὄν]*. Ep. 59, 7 Sextium ecce cum maxime lego; Ep. 90, 20 Incredibile est, mi Lucili, quam facile etiam magnos viros dulcedo orationis abducat a vero: ecce Posidonius — textrini quoque artem a sapientibus dixit inventam). In transcursu moneo verbo „ecce“ Senecam haud paucis locis uti, e quibus duos afferre satis habeo, Ep. 22, 13, ubi Seneca dicit adiciendam epistulae esse vocem sive sententiam sapientis alicujus viri et pergit: et occurrit mihi ecce nescio utrum verior an eloquentior et Dial. XII, 9, 8, ubi postquam dixit Caesarem per annos decem continuos caruisse patria, pergit: nunc ecce trahit illum ad se Africa resurgentis belli minis plena et q. s.

Reliqui sunt aliquot loci, quibus Seneca particulas et adverbia vel eadem vel cognatae significationis consociavit. Qua re minus offendetur is, qui secum reputaverit procedente tempore vim verborum minui atque extenuari. Quod ut exemplo declarem „infinitus“ pro magnus saepius a Seneca usurpatur. Cfr. Ben. II, 27, 3 ut flammae infinito acrior vis, quo ex majore incendio emicat; cfr. Ben. III, 9, 3. Ac modo duplicavit Dial. X, 18, 5 et D. XII, 2, 5 (modo modo in eumdem sinum, ex quo tres nepotes emiseras, ossa trium nepotum recepisti. Fickertus, qui quamvis hanc lectionem optimi codicis [Mediolanensis] in textum non receperit, tamen eam probans, comparat cum jamjam). Quid? quod etiam deinde et tunc Ep. 74, 25 et Ep. 117, 1 conjunxit (primum exponam, quid Stoicis videatur; deinde tunc dicere sententiam audebo. Praeterea etiam et quoque junxit N. Q. I, 3, 9 sed etiam in his quoque et Ben. IV, 17, 2 velit quoque

etiam his; nec tamen ignoro etiam ex Ciceronis libris exemplum harum particularum conjunctarum afferri. O et n e copulata sunt Ben. V, 4, 4 (o ne ille —) et VII, 27, 2 (In hac aviditate generis humani o ne tu nimis fortunae communis oblitus es, qui quaeris inter rapientes referentem).

Priusquam disserendi finem faciam, paucis etiam de collocatione verborum exponere libet, siquidem etiam hac in re Seneca nonnihil a prioribus discrepat. Ac primum i t a q u e non in principio sententiae ponere solet, sed altero vel tertio loco, velut Dial. I, 11, 8: Non est itaque utilis ne in proeliis quidem aut bellis ira. Deinde t a n t u m ante id verbum, ad quod pertinet, collocavit D. XI, 6, 1 (tantum rebus secundis uti), cfr. Ep. 3, 4 Contra m u l t o verbo postposuit Dial. XII, 9 6 plus multo, (cfr. Clem. I, 22, 3 gravior multo). C a u s a ante verba recta collocavit Ben. IV, 3, 1 id causa ullius alterius rei dare; c o n t r a postposuit Ep. 32, 4 sed haec contra = contra ea vel contra. Denique largissima copia eorum locorum est, in quibus verbis arcte inter se cohaerentibus aliud verbum interjectum est, velut Ep. 76, 33 humanarum formidines mentium, Ep. 92, 25 insanabilis exulcerati dolor ventris, cfr. Ep. 15, 4. 26, 6. 94, 13 et 20 et 70. 95, 69 et 70. 102, 25. 115, 18.

Sed haec sufficiant ad id, quod mihi propositum erat, demonstrandum. Nemini enim ex eis, quae protulimus, dubium fore spero, quin Seneca multa et in vocabulorum usu et in verborum conjungendorum ratione novaverit, sive poetas inprimis Augusteae aetatis imitatus sit, sive ipse aut aliquis ex aequalibus ea finxerit.

